AUTHOR:

SCHWARTZ, ELIMAR

TITLE:

DE METAPHORIS E MARI ET RE NAVALI PETITIS...

PLACE:

KILIAE

DATE:

1878

Master Negative #

93-81309-21

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88ED
Z4

Schwartz, Elimar, 1855-
De metaphoris e mari et re navali petitis quaestiones Euripideae. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet Elimar Schwartz ... Kiliae, Mohr, 1878.
53 p. 26 cm.

Thesis, Kiel.

379164

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 4-21-93 INITIALS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

De metaphoris e mari et re navali petitis quaestiones Euripideae.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN ACADEMIA REGIA CHRISTIANA-ALBERTINA KILIENSI IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVII MENSIS MAII HORA XI IN AULA ACADEMICA

PUBLICE DEFENDET

ELIMAR SCHWARTZ

Utinensis.

Adversariorum partes suscipient:

ADOLFUS WACHHOLTZ, stud. phil.
HUBERTUS SCHWARTZ, Dr. phil.
HENRICUS CARSTENS, stud. phil.

KILIAE.

Prostat in aedibus Lipsii et Tischeri.

EX OFFICINA C. F. MOHR. (P. PETERS).

1878.

Imprimatur:
G. THAULOW.
h. t. decanus.

De metaphoris e mari et re navali petitis quaestiones Euripideae.

Φασὶ δὲ αὐτὸν ἐν Σαλαμῖνι σπήλαιον κατασκευάσαντα ἀναπνοὴν ἔχον εἰς τὴν θάλασσαν ἐκεῖσε διημερεύειν φεύγοντα τὸν ὄχλον· ὅθεν καὶ ἐκ θαλίσσης λαμβάνει τὰς πλείους τῶν ὁμοιώσεων.

Vita Eur. ed. Nauck vs. 61.

Ioannis Pauli nostri illud »jede Sprache ist in Rücksicht geistiger Beziehungen ein Wörterbuch erblasster Metaphern« non magnificentius quam verius esse dictum ex eis, quae nuper grammatica comparativa de originatione singulorum vocabulorum in lucem protulit, satis superque apparet. Invenitur in unaquaque lingua metaphorarum copia fere infinita; namque praeter eas, quas quisque facile intellegit, multa vocabula, quae primo obtutu significationem suam principalem prorsus retinuisse videntur, dummodo eorum stirpem et principia indagemus, et ipsa antiquitus a re simili petita cognoscuntur. Nimirum haec origo, cum diuturnitate temporum propria significatio magis magisque ab usu removeretur atque obliteraretur, ex ipsorum hominum memoria paullatim dilapsa est, ut ad extremum verba re vera translata propriorum munere fungi viderentur. Interdum etiam posterioribus temporibus, cum homines prior illa translatio fugeret, verbum iam translatum rursus metaphorice ad notionem a propria significatione satis alienam describendam usurpatum est.

Sed de his metaphoris satis obscuris atque impeditis hic non est locus subtilius disserendi; ad eas potius nos convertamus, quas proprias metaphoras seu translationes intellegere solemus i. e. eas, quibus ad orationem exornandam conscia mente

quis utitur, quarum origo etiam iis, qui ab accuratioribus literarum studiis abhorreant, dubia esse non potest*). Atque harum metaphorarum investigatio non solum multum habet delectationis, verum etiam magni est momenti ad populorum cognitionem interiorem. Quemadmodum enim translationes illae plane obliteratae et per linguarum tantum comparationem recognitae atque detectae multum nos adiuvant in linguarum primordiis rationibusque, quae inter singulas gentes intercedebant, recte percipiendis, ita metaphorarum adhuc manifestarum usum diligentissime perscrutati multo accuratius perspicimus ingenium, mores, cultum humanitatemque uniuscuiusque populi per totam eius rerum memoriam. Namque cum omnis translatio posita sit in similitudine comparationeque et plerumque adhibeatur ad rem minus perspicuam vel quae cogitatione tantum percipitur simili re pervulgata et ipsis sensibus subiecta illustrandam, per se consentaneum est, ex iis maxime rebus peti metaphoras, quae ut artissime coniunctae cum moribus, institutis, occupationibus principalibus civium et natura totius terrae, omnibus incolis notissimae sunt semperque ante oculos obversantur. Uti Romani, quorum vires potissimum studio rerum bellicarum et forensium absumebantur, ex harum rerum maxime ambitu imagines et metaphoras depromere solebant, cum Graecos in translationibus comparationibusque praecipue ad rem navalem refugisse e scriptoribus eorum facile intellegatur.

Sed quod de singulis populis valet, quodammodo etiam in singulos homines cadit. Nam sicut omnis populus certa quaedam genera metaphorarum prae ceteris frequentat atque in deliciis habet, ita rursus singuli eius populi homines ex illis metaphoris ad usum quotidianum secundum propriam suam naturam vel occupationem suam sibi partem eligunt, electam amplificant et exaggerant, seu studiis seu itineribus seu aliis rebus instructi, ut saepius singulorum hominum usus metaphorarum aliqua ex parte excedat fines eos, quibus in universum totius populi translationes circumscribuntur.

Iam vero eo magis valere omnia, quae exposuimus de fructu e metaphoris accuratius inspectis percipiendo, quo maior metaphorarum copia sese offert nobis ad quaestionem instituendam, nemo non intellegit. Itaque quoniam poëtae e proprio suo dicendi genere cum omni dictioni figuratae tum translationibus quam maxime indulgent, eorum metaphorae uberrimam materiam praebent dignaeque sunt primo loco, quae subtilius investigentur. Neque hoc recentissimis temporibus viros doctos fugit.

*) Cfr. Lobeck, dissertationes de metaphora et metonymia ed. Friedlaender, Regimonit 1864 p. 5.

Namque cum antea, ut iam in antiquis temporibus subsistamus, de veterum Graecorum et Romanorum poëtis quaestiones tantum grammaticae vel metricae vel historicae institui solerent, nuperrime etiam in singulorum elocutionem, orationis colorem et ornamenta diligentius inquiri coeptum est*). Ante omnes vero tragici Graeci campum latissimum praebebant, in quo exsultarent huiusmodi quaestiones. Primum enim ubertas figurarum imaginumque ipso grandi dicendi genere, quo tragici uti solebant, quam maxime poscebatur; tum nescio an quodammodo etiam de tragicis Graecis valeant, quae ad Shaksperii imagines translationesque audaces et explicandas et excusandas nuperrime protulit J. Schuemann (See und Seefahrt, nebst dem metaphorischen Gebrauch dieser Begriffe in Shakspere's Dramen. I. Abtheilung. — progr. schol. Thom. Lips., Lipsiae 1876 p. 2 sq.) haece: »Vor Allem aber gilt es, ... daran festzuhalten, dass sein (Shaksperii) Hang zu pathetischer Darstellung, zu grossartigen Bildern, zu jenen allbekannten hyperbolischen Ausdrücken, ... zum überwiegenden Theil aus dem gewaltigen Schwergewicht des Wortes herrührt, welches die Bühne solchem naturgemäss zu einer Zeit einräumte, da sie der Sinnenanschauung nicht wie jetzt durch eine oft erdrückende Masse sinnlich aufzunehmenden Materials entgegenkam, welches in künstlerischer Herstellung der Decoration, genauer Wiedergabe historischer Costüme, oft auch durch die Zuhülfenahme stilvoller Musik als Ausdruck seelischer Zustände, Auge und Ohr des Zuschauers gefesselt hält und dadurch seine Empfänglichkeit für die Hauptsache, das Wort des Darstellers, zersplittert. . . . . . Durch jene Einfachheit der alten Zeit wurde die Metapher, die so oft den Nagel auf den Kopf treffende Vergleichung selber gleichsam eine Decoration, ein Schmuck, der das Wort vom Gebiete des abstracten Begriffs zu klarer Anschaulichkeit hinüber leitete.« —

Sic in universum, unde tantus troporum numerus apud tragicos Graecos ortus sit, perfacile intellegitur. Sed ut ab omni parte eorum usus figurate loquendi perspiciatur, totius certe materiae conquisitione et dispositione diligentissima opus est, quam nostris quidem temporibus magis magisque incoharunt viri docti. Qua in re

*) Exempli gratia praeter eos libros, qui paullo inferius laudabuntur, hic affero: J. Muetzell, de translationum, quae vocantur, apud Curtium usu. Berol. 1842, progr. gym. Joachimth. — E. Luebbert, de elocutione Pindari, diss. inaug. Halis Saxonum 1853. — O. Goram, Pindari translationes et imagines, in Philologi vol. XIV p. 241 sqq. 1859. — C. C. Hense, Poëtische Personification in griech. Dichtungen mit Berücksichtigung latein. Dichter und Shakspere's. Halis 1868 pars I.

quod ad metaphorarum usum attinet, praeter eos libros, in quibus res obiter tantum atque breviter attingitur, potissimum hic laudandae sunt quaestiones a viris doctis Schulze, Hoppe, Radtke, Coenen hac de re institutae. Quorum e numero Schulze ille pagg. 7 sqq. libelli, qui inscribitur »de imaginibus et figurata Aeschyli elocutione« (progr. gym. Halberst. 1854) metaphoras Aeschyleas componere studuit, cum Hoppe (de comparationum et metaphorarum apud tragicos Graecos usu, progr. gym. Leucophaei Berolinensis, Berol. 1859) translationes ab avium natura deductas, quae reperiuntur apud Aeschylum, Sophoclem, Euripidem summa cura et diligentia digesserit atque explicaverit. Iam vero G. Radtke (de tropis apud tragicos Graecos, disser. inaug. Berol. 1865) postquam in universum de origine, definitione, partitione troporum disseruit testimoniaque veterum grammaticorum hac de re gravissima recensuit*), ad solas metaphoras se convertit, quarum de divisione ac usu permulta et memorabilia annotat. Tum apud tragicos Graecos ex trium maxime rerum ambitu plurimas translationes petitas esse demonstrat, e venatione, agricultura, navigatione, atque metaphorarum e rebus rusticis desumptarum delectum quendam accuratiorem addit. Iam duobus annis post in programmate Krotoschinensi (de tragicorum Graecorum tropis, partic. II 1867) etiam translationes ex verbis nauticis et ex venaticis depromptas componere conatus est, attamen, ut mihi quidem videtur, totam rem perstrinxit magis quam ad finem perduxit. Praesertim in metaphoris e rebus navalibus petitis recensendis, quippe quae omnium frequentissimae sint nec minimi momenti ad ipsorum Atheniensium ingenium, mores, instituta accuratius cogitatione comprehendenda, mihi minus satisfecit. Omnino enim exempla parum multa exhibuit, quae ne sufficiunt quidem ad totius rei fines recte circumscribendos, nedum ad uniuscuiusque tragici usum peculiarem illustrandum. Praeterea in antiquorum poëtarum usu metaphorarum investigando etiam quam maxime singulorum locorum interpretationem nec minus artem criticam semper respiciendam esse existimo, quippe cum utraque res huiusmodi quaestionibus, dummodo satis accurate instituantur, valde proficere possit. Saepius enim metaphora, quae alio loco obscurior vel audacior videatur esse, simili metaphora alius loci comparata optime et explicatur et contra criticorum dubitationes offensionesque defenditur, cum rursus eam translationem, quam ab usu scriptoris prorsus alienam esse cognoverimus, facere non possimus, quin addubitemus. Quae omnia a Radtkio plus iusto negleguntur. Magis hanc rem respexit vir doctus G. F. H. Coenen (de comparationibus et metaphoris apud Atticos praesertim poëtas, disser. lit. Traiecti

*) Uberrime haec pertractavit J. Muetzell l. l. cap. I.

ad Rhenum 1875), qui in singulis metaphoris conquirendis et interpretationi et arti criticae diligenter inservit. Attamen et ipse, quippe quem iam amplitudo rei propositae — omnia enim translationum genera percenset — quam maxime vetuerit in altum descendere omniaque exempla congerere, permulta reliquit accuratius colligenda et explicanda.

Itaque iam equidem constitui denuo in rem inquirere atque ita quidem, ut quo accuratior fieret, in exiguum gyrum compellerem disputationem. Omnes enim translationes, quae reperiuntur apud Euripidem e mari atque e re navali desumptae, hoc libello conabor colligere, digerere, exponere; simul ubi vel ad sententiam vel ad loquendi usum illustrandum aptum videbitur, exempla similia partim e ceteris tragicis Graecis partim ex aliis quibusdam Graecorum et Romanorum scriptoribus petita comparabo.

Quod praeter translationes etiam comparationes ex earundem rerum ambitu ab Euripide depromptas conquisiturus sum, ex iis, quae supra de origine metaphorarum disserui, nemini mirum videbitur, praesertim cum accedat, quod saepius in una eademque imagine comparationes cum translationibus reperiuntur coniunctae, ut omnino ab his seiungi nequeant.

Atque haec de consilio quaestionis instituendae. De dispositione vero materiae prorsus cum Radtkio facio, qui percensis omnibus metaphorarum partitionibus, quae fieri possent (dissert. p. 18 sqq.) optimum duxit, translationes ita digerere, ut eas res respiceret, e quibus illae desumptae essent. Ita enim quae natura coniuncta sunt, etiam disputatione non divelluntur, sed invicem sese explicant atque illustrant. —

Nobis igitur ipsa natura propositi ea distinguendi ratio offertur, ut priore capite disseramus de metaphoris e mari deductis, altero translationes ad res navales pertinentes complectamur. Has rursus ita dividere placuit, ut particula priore eas percenseremus, quae spectant ad navem, eius partes, ornamenta, altera eas, quae ad ipsam navigationem et cursum navis revocandae sunt. Atque huius particulae locum extremum eae tenebunt metaphorae, quae aut vitam humanam aut rempublicam navis imagine illustratam proferunt, de quibus separatim agere e re visum est.

Quibus vero locis in una eademque sententia complures metaphorae inveniuntur conexae, quae per se ad diversas harum classium pertinent, in iis eam potissimum notionem sequemur, quae caput videtur esse, unde ceterae translationes defluxerint, totiusque sententiae uberiorem tractationem ei parti reservabimus, cui res illa principalis adiungenda est.

Unum iam praemoneamus extremum, quod haud scio an minus hucusque observatum sit. Cum enim, ut iam supra dixi (p. 3), multae translationes paullatim tam fiant vulgares, ut omnino metaphorae sciri desinant, in linguis quae dicuntur mortuis perscrutandis, quippe in quibus optimus huius rei iudex, cotidiana consuetudo, desit*), valde cavendum est, ne nimio indagandi et cumulandi studio inducti maiorem vim tribuamus eis translationibus, quae antiquioribus temporibus inventae iam fere significationis propriae vice fungebantur. —

Caput I.
De translationibus e mari petitis.

§ 1. Πέλαγος, πόντος, θάλασσα, ἄντλος.

Ex vocabulis, quibus veteres Graeci maris notionem significare solebant, veluti ἅλς, θάλασσα, πέλαγος, πόντος, Euripides in tragoediis fragmentisque nobis relictis sensu metaphorico usurpavit nullum nisi πέλαγος, qua in re consentit prorsus cum Sophocle, cum Aeschylus praeterea etiam θάλασσα per translationem adhibuerit. Omnino autem totus hic usus apud poëtas Graecos non minus quam apud scriptores Romanos et nostrates angustioribus finibus continetur, nimirum ideo, quod totius maris notio minus est idonea, quae crebro transferatur, sive propter nimiam rei exaggerationem quae inest, sive propter paucitatem earum rationum, quae illa satis apte adumbrantur. Uti

*) Cfr. Hegel Aesthetik I p. 519: »Bei lebenden Sprachen ist der Unterschied wirklicher Metaphern und bereits durch die Abnutzung zu eigentlichen Ausdrücken heruntergesunkener leicht festzustellen; bei todten Sprachen dagegen fällt dies schwer, da die blosse Etymologie hier die letzte Entscheidung nicht geben kann, insofern es nicht auf den ersten Ursprung und die sprachliche Fortbildung überhaupt, sondern vornehmlich darauf ankommt, ob ein Wort, das ganz malerisch schildernd und veranschaulichend aussieht, diese seine erste sinnliche Bedeutung und die Erinnerung an dieselbe beim Gebrauch für Geistiges nicht im Leben der Sprache selbst bereits verloren und zur geistigen Bedeutung aufgehoben hatte«. —

tragicorum Graecorum, quoniam e sola fere immensa amplitudine aequoris comparationem depromunt, propria est translatio vocabuli πέλαγος ad ingentem magnitudinem atque copiam, praesertim malorum, indicandam*), ita ut ad eorum potissimum usum videantur spectare Hesychii verba: πέλαγος· μέγεθος, πλῆθος. Quod de Aeschylo et Euripide sine ulla exceptione valet. Sophocles vero, apud quem omnino duobus tantum locis exstat πέλαγος metaphorice dictum, altero (Oed. Colon. v. 662 sq.**)) maxime respexit impedimenta et pericula, quae impatiens navium mare opponit iter maritimum facientibus, altero (ibid. v. 1746) usum Aeschyleum atque Euripideum secutus esse videtur, ut iam sit e praecedenti voce μόγος ad πέλαγος intellegendum μόγων et πέλαγος μόγων idem fere ac vulgare illud πέλαγος κακῶν.

Quibus in universum praemissis ad ipsius Euripidis locos singulos, qui huc pertinent, accuratius indagandos accedam. Et sunt quidem quattuor tantum. Primum nobis occurrit Herc. fur. v. 1086 sq., ubi chorus (huic enim recte Heathius attribuit verba, cum in ipso codice sint Herculis) misericordia Herculis furentis concitatus exclamat haece: ὦ Ζεῦ, τί παῖδ' ἤχθηρας ὧδ' ὑπερκότως Τὸν σόν, κακῶν δὲ πέλαγος εἰς τόδ' ἤγαγες; Significat igitur hic πέλαγος κακῶν conditionem Herculis miserrimam, malorum eius copiam fere infinitam. — Prorsus eadem ratione legimus Suppl. v. 824: ἴδετε κακῶν πέλαγος ab Adrasto dictum de choro Supplicium, quae paullo ante v. 818 alia quidem imagine, sed eodem sensu sese habere πημάτων ἅλις βάρος pronuntiaverunt. — Iam tertium locum licet adiungere simillimum, qui continetur Hippolyti versibus 822 sqq.: κακῶν δ' ὦ τάλας πέλαγος εἰσορῶ Τοσοῦτον ὥστε μήποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν Μηδ' ἐκπερᾶσαι κῦμα τῆσδε συμφορᾶς. Dicit haec Theseus Phaedram coniugem suam voluntaria morte interemptam subito conspicatus. Imaginem autem, quam incohavit primo versu voce πέλαγος, persequitur sequentibus, de quibus cfs. §§ 2, 5. — Restat, ut excutiamus Iphigeniae Tauricae versum 300, qui quidem num omnino huc pertineat, admodum potest dubitari. Traditur enim ibi Orestes insaniens boves aquatum ad mare ductas ita ferro trucidasse, ὡς***) αἱματηρὸν πέλαγος ἐξανθεῖν ἁλός. Atque recentiores quidem editores, ut videtur, omnes cum construant »ὡς πέλαγος ἁλὸς ἐξανθεῖν αἱματηρόν, ut mare factum sit sanguinolentum«, de translatione vocis πέλαγος hoc loco

*) Similem Shaksperii usum recensuit J. Schuemann l. l. p. 32 sqq.

**) In singulis versibus laudandis editiones Aeschyli Dindorfianam, Sophoclis et Euripidis Nauckianas sequar.

***) Marklandi coniecturam ὥσθ' supervacaneam esse, cum traditum ὡς saepius eodem sensu occurrat, iam recte monuit Hermannus.

omnino non videntur cogitare. Nec potest contra hanc interpretandi rationem proferri, quod non ex usu linguae Graecae fuisse videatur, *πέλαγος* cum *ἁλός* coniungere et *ἐξανθεῖν* absolute ponere. Utriusque enim usus exempla quamvis rara exstant, qua de re cfs. Hermannum et Koechlyum a. h. l. Attamen nostro certe loco haud scio an tota haec interpretatio nimis sit arcessita. Immo ut verba sunt tradita, ipsa eorum collocatione quam maxime adducimur, ut *αἱματηρόν* intellegamus attributum q. v. vocis *πέλαγος*, *ἁλός* vero genetivum pendere statuamus e verbo *ἐξανθεῖν*. Esset igitur hoc modo re vera *αἱματηρὸν πέλαγος* improprie dictum. Iam vero alia exsistit difficultas eaque gravissima. Mare enim e mari reddere efflorescens nimiae profecto sit audaciae. Huc accedit, quod alioquin Euripides *πέλαγος* non usurpavit translatum nisi cum *κακῶν* coniunctum, et quod omnino apud omnes tres tragicos res, cuius copia voce *πέλαγος* illustratur, per genetivum substantivi, non per adiectivum addi solet. — Itaque iam equidem repetiverim scripturam eam, quam prius ediderunt Seidlerus Hermannus aliique quaeque mihi quoque accuratius locum perpendenti statim in mentem venit: *αἱματηρὸν πέλανον*. Qua accepta omnem difficultatem prorsus tolli nemo non intellegit. Satis enim constat, voce *πέλανος* potissimum tragicos solitos esse uti, ut cruoris magnam vim indicarent. Sic legimus Alc. v. 850 sq.: *ἦν δ' οὖν ἁμάρτω τῆσδ' ἄγρας, καὶ μὴ μόλῃ Πρὸς αἱματηρὸν πέλανον κτἑ.* Rhes. v. 430 sq.: *ἔνθ' αἱματηρὸς πέλανος ἐς γαῖαν Σκύθης Ἠντλεῖτο λόγχῃ Θρῄξ τε συμμιγὴς φόνος.* Aesch. Pers. v. 816: *τόσος γὰρ ἔσται πέλανος αἱματοσταγής.* Cfr. etiam Eum. v. 264 sq.: *ἀλλ' ἀντιδοῦναι δεῖ σ' ἀπὸ ζῶντος ῥοφεῖν Ἐρυθρὸν ἐκ μελέων πέλανον.* — Praeterea ad scripturam *πέλανον* commendandam haud mediocriter valet, quod ea et in ipso codice Palatino secunda manu perhibetur et in Aldina editione in textum recepta est. Quam facile vero *πέλανον* lapsu calami corrumpi potuerit in traditum *πέλαγος*, non est cur multis persequar. Praeberet igitur totus versus sententiam: »ut cruoris copia erumperet e mari«, in qua omni ex parte acquiescere possumus, cum e v. 261 satis eluceat, boves re vera in mari stetisse, id quod iam Hermannus recte animadvertit.

Iam vero quoniam disputatio nostra de translationibus Euripideis eorum vocabulorum, quae apud Graecos proprie mare significabant, ad finem perducta est, adiungere comparationes ad easdem voces spectantes e re visum est, quas cum sint prorsus diversi generis, non licuit ipsis metaphoris inserere. Cum enim in his sola maris amplitudo respiciatur, in comparationibus duabus, quae huc pertinent apud Euripidem, tertium q. v. comparationis potius positum est in violentia et ferocia, contumacia et pervicacia, quae mari attribuuntur proprietates. Sic dicit Herc. fur. v. 861 sqq. Lyssa, insaniae dea, Herculem perditura de se ipsa: *οὔτε πόντος οὕτω κύμασι*

στένων λάβρος Οὔτε γῆς σεισμὸς κεραυνοῦ τ' οἶστρος ὠδῖνας πνέων, Οἷ' ἐγὼ στάδια δραμοῦμαι στέρνον εἰς Ἡρακλέους. Comparat igitur impetum a se in Herculem faciendum cum maris impetu magno cum strepitu aestuantis. — Altero loco Hipp. v. 304 sq. nutrix Phaedrae, postquam huius aures ad omnes preces suas invenit surdas, maxime irritata haec loquitur: *ἀλλ' ἴσθι μέντοι, πρὸς τάδ' αὐθαδεστέρα Γίγνου θαλάσσης, εἰ θανεῖ, προδοῦσα σοὺς Παῖδας κτἑ.* Latine: scito vero, licet fias ad haec contumacior quam mare, te morientem prodituram esse liberos. Hunc in modum si locum interpretamur, omnia perbene sese habent nec potest intellegi, cur Nauckius verba *μέντοι* et *αὐθαδεστέρα γίγνου θαλάσσης* aut spuria aut corrupta censuerit. Est enim locutio *πρὸς τάδ' αὐθαδεστέρα γίγνου θαλάσσης* parenthesis loco posita (cfr. Weilius), id quod iam optime indicat scholion his verbis: *λοιπὸν πρὶν ἀποπληρῶσαι τὸν λόγον διὰ μέσου φησὶ „πρὸς τάδ' αὐθαδεστέρα γενοῦ θαλάσσης“.* Sententia autem, quae inest, optime explicatur aliis locis, quibus item hominum si qui sunt duri et obstinati animi conferuntur cum fluctuum in scopulis sese illidentium quae putatur ferocia et pertinacia*). Huc pertinent exempli gratia Med. v. 28 sq.: *ὡς δὲ πέτρος ἢ θαλάσσιος Κλύδων ἀκούει νουθετουμένη φίλων.* Andr. v. 537 sq.: *τί με προσπίτνεις, ἁλίαν πέτραν Ἢ κῦμα λιταῖς ὣς ἱκετεύων*; Aesch. Prom. v. 1001: *ὀχλεῖς μάτην με κῦμ' ὅπως παρηγορῶν.* Hinc porro ea translatio profecta est, ex qua adiectivum *κωφός* apud Graecos, surdus apud Romanos de mari, fluctibus, scopulis dici solet, cuius rei permulta exempla exhibuit C. C. Hense l. l. p. 48.

Reliquum est, ut de uno vocabulo pauca addam, cuius metaphorae et comparationes unam eandemque notionis mutationem secutae sunt. Dico verbum *ἄντλος*, quod proprie de sentina usurpatur, duobus vero locis Euripideis, quorum alter translationem, alter comparationem continet, pari modo per synecdochen de ipso mari occurrit. Heracl. v. 165 sqq. Copreus Argivus, ut deterreat Demophontem, quominus Heraclidas et Iolaum senem ab Eurystheo tueatur, haec facit verba: *κακὸν λόγον Κτήσει πρὸς ἀστῶν, εἰ γέροντος εἵνεκα Τύμβου τὸ μηδὲν ὄντος, ὡς εἰπεῖν ἔπος, Παίδων τε τῶνδ' εἰς ἄντλον ἐμβήσει πόδα.* Illustratur igitur hoc loco locutione *εἰς ἄντλον ἐμβαίνειν πόδα* »in mari pedem ponere« magnum periculum, quod suscepturus est Demophon, siquidem adiuvat Heraclidas supplices. — Alter locus exstat Hec. v. 1025 sqq., ubi de Polymnestore, quem Hecuba secum in tabernaculum duxit occaecandum, chorus hac utitur similitudine: *ἀλίμενόν τις ὡς εἰς ἄντλον πεσὼν Λέχριος ἐκπεσεῖ φίλας καρδίας, Ἀμέρσας βίον.* Verborum proximorum *λέχριος ἐκπεσεῖ κτλ.* diversas interpretationes a viris doctis prolatas hic praetereo, cum ad quaestionem nostram non pertineant. —

*) Cfr. I. Schuemann l. l. p. 37.

§ 2. *Κλύδων, κῦμα, ἄκυμος, μετακύμιος, πλημμυρίς, σάλος, παλίρροους, ῥόθιον.*

Quo minorem invenimus numerum metaphorarum e toto mari desumptarum, eo uberior sese offert nobis materia iam ad eas translationes transgredientibus, quae ad undas, fluctus, maris agitati strepitum spectant. Quarum ne obruamur copia, hac § substantiva tantum et adiectiva componemus; verba autem ex eadem re profecta dimittemus in sequentem §. — Ac fluctus quidem neminem fugit ita potissimum metaphorice dictos esse et dici in omnibus fere omnium gentium linguis, ut periculorum et malorum homines opprimentium et quasi submergentium sint imagines. Quam in sententiam apud Euripidem occurrunt vocabula fere synonyma *κῦμα* et *κλύδων*. Multo usitatius ex his est *κλύδων*. Qua occasione haud alienum videtur, in universum monere, ea vocabula, quae vulgari sermone trita sunt, minus saepe figurate adhiberi, contra quae per se remotiora sunt et iam ipsa poëticum quendam colorem prae se ferunt, ea etiam frequentioribus translationibus usui esse.

Iam singulas vocis *κλύδων* metaphoras accuratius persequamur. Traducitur primum ad belli tumultum, ad hostium copias se tanquam fluctus in cives effundentes. Sic dicit Iphig. Taur. v. 316 boum pastor de Oreste, qui animo recepto Taurorum affluentium manum agnovit: *ἔγνω κλύδωνα πολεμίων προσκείμενον.* — Similis est ratio versuum 859 sq. Phoenissarum fabulae, ubi haec sunt Creontis verba: *ἐν γὰρ κλύδωνι κείμεθ', ὥσπερ οἶσθα σύ, Δορὸς Δαναϊδῶν καὶ μέγας Θήβαις ἀγών.* — Porro eadem verba *κλύδων δορός* occurrunt coniuncta Supp. v. 474 sq.: *εἰ δὲ μή, πολὺς κλύδων Ἡμῖν τε καὶ σοὶ συμμάχοις τ' ἔσται δορός.* — Ultimus denique locus, qui huc pertinet, Euripideus continetur Ionis verss. 59 et 60 hisce: *ἦν ταῖς Ἀθήναις τοῖς τε Χαλκωδοντίδαις, Οἳ γῆν ἔχουσ' Εὐβοΐδα, πολέμιος κλύδων.* — Praeterea ad verborum certamen transfertur *κλύδων*, cuius usus unicum est exemplum apud Euripidem Hec. v. 116, quo loco de altercatione Graecorum contendentium, utrum sacrificent Achilli postulanti victimam necne chorum facit poëta dicentem haec: *πολλῆς δ' ἔριδος συνέπαισε κλύδων.* — Tum reperitur *κλύδων* simili modo ac *πέλαγος* cum *κακῶν* coniunctum usurpatumque ad fluctus malorum homines agitantium indicandos Med. v. 362 sq.: *ὡς εἰς ἄπορόν σε κλύδωνα θεός, Μήδεια, κακῶν ἐπόρευσε*, quocum usu prorsus consentit Aeschyli Pers. v. 599 sq.: *ὅταν κλύδων Κακῶν ἐπέλθῃ.* — Tantum quod deest *κακῶν* eandem translationem repetit Hecuba in Troadum fabula v. 696: *νικᾷ γὰρ οὐκ θεῶν με δύστηνος κλύδων*, ubi adiectivum *δύστηνος* quodammodo fungitur vice genetivi *κακῶν*. — Animi quoque perturbationem Euripides voce *κλύδων* illustrasse videtur Herc. fur. v. 1091 sq. ubi Hercules de se: *ὡς δ' ἐν κλύδωνι καὶ φρενῶν ταράγματι Πέπτωκα δεινῷ,*

ut verba *καὶ φρενῶν ταράγματι* sint explicatio quaedam antecedentis vocabuli *κλύδων*. Respondet ergo haec locutio ei Romanorum, ex qua vocabula fluctus et aestus ad animi motus transferre solebant.

Hae sunt, quae apud Euripidem exstant metaphorae verbi *κλύδων*; de Med. v. 28 sq. vide § 1 p. 11. Itaque quoniam Euripides formam deminutivam *κλυδώνιον*, cuius usui metaphorico tragicorum solus Aeschylus indulsisse videtur, per translationem non adhibuit, iam nos convertamus ad vocabuli *κῦμα* et adiectivorum hinc profectorum metaphoras Euripideas percensendas. Qua in re generatim statim proferre placet, *κῦμα*, ut omnino admodum raro transfertur ab Euripide, frequentius ab Aeschylo, ita apud illum ad solas calamitates spectare, apud hunc de rebus satis variis usurpatum esse. Discessisse quidem videtur ab hoc more loquendi Euripides Or. v. 279, ubi Orestes, postquam furore agitatus est, compos sui factus conditionem suam circumscribit hunc in modum: *ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλήν' ὁρῶ.* Sed hoc loco locutionem, quae Graecis in proverbio erat, in suum usum convertit poëta, non ipse notiones singulas maritimas figurate posuit. Quapropter hunc locum iam hic missum faciamus. Remanent loci Ion. v. 927 et Hipp. v. 824, quorum prior exhibet verborum coniunctionem *κῦμα κακῶν*, alter *κῦμα συμφορᾶς*. Ceteroquin in Ionis locum, quippe qui ad navigationem revocandus sit, accuratius inquirendum erit in capite altero (cfr. § 12); de Hippolyti versu cfs. § 1 p. 9. — Praeterea huc fortasse referendum est fragm. 232: *οὐ γὰρ ὑπερθεῖν κύματος ἄκραν Δυνάμεσθ'· ἔτι γὰρ θάλλει πενία Κακὸν ἔχθιστον, φεύγει δ' ὄλβος*, cum verba *ὑπερθεῖν κύματος ἄκραν* »supra fluctus currere« videantur esse dicta in sententiam: calamitates fluctuum instar irruentes effugere. Cfr. Aesch. Eum. v. 560 sqq.: *γελᾷ δὲ δαίμων ἐπ' ἀνδρὶ θερμῷ Τὸν οὔποτ' αὐχοῦντ' ἰδὼν ἀμηχάνοις Δύαις λαπαδνὸν οὐδ' ὑπερθέοντ' ἄκραν* et Coenen l. l. p. 81. — Comparationem, quae reperitur Andr. v. 537 sq., iam attulimus § 1 p. 11. —

Adiectiva ab eadem stirpe ac *κῦμα* derivata apud solum Euripidem leguntur translata *ἄκυμος* et *μετακύμιος* atque semel utrumque. Exstant Herc. fur. v. 698 sqq. haec: *μοχθήσας τὸν ἄκυμον Θῆκεν βίοτον βροτοῖς Πέρσας δείματα θηρῶν*, quae respicere Herculis facinora, quibus terras portentis liberavit hominibusque vitam tutam et tranquillam (*ἄκυμον*) reddidit, quisque facile intellegit. — Multo difficilior est explicatu locus alter Alc. v. 91 sq., ubi chorus: *εἰ γὰρ μετακύμιος ἄτας, Ὦ Παιάν, φανείης.* Agitur hic maxime de eo, quid significet vox *μετακύμιος*, quae hoc solo loco legitur. Et Passowius quidem, postquam in universum *μετακύμιος* interpretatus est »zwischen den Wellen«, verba *μετακύμιος ἄτας* vertit »zwischen die Wellen des Schicksals tretend, sie abwehrend«. Eodem fere modo Pflugkius Schneiderum secutus in editione sua

explicare studet *μετακύμιος* »is qui malorum fluctus avertit«. Quae interpretatio iam ideo reicienda videtur, quod ipsa principalis notio avertendi omnino subicitur tantum sub voce *μετακύμιος*, nullo vero modo e propria eius significatione deduci potest. Propria enim notio videtur esse »inter fluctus«, ut recte Passowius perspexit, id quod optime etiam conici potest ex analogia adiectivorum prorsus congruentur conformatorum *μεταίχμιος, μεταδήμιος, μεταμάζιος, μετακόσμιος* aliorum. Quapropter suo iure scholiasta aliquis comparat *τὸ μετακύμιον* cum *τὸ μεταίχμιον* et Hesychius recte explicat *μετακύμιον· τὸ μεταξὺ τῶν κυμάτων.* — Quod vero scholiastae ceteri cogitant de maris tranquillitate, quae sequitur fluctus, et *μετακύμιος* interpretantur, alter *γαληνός, εὐδιεινός, μετὰ τὸ κῦμα κατάστασιν παρέχων*, alter *βοηθός, παυστικός*, hoc quid sibi velit non intellego. Quomodo enim, ut sumamus, *μετακύμιος* re vera dici posse de eo maris statu, qui sequitur fluctus, i. e. de tranquillitate, hinc a c t i v a significatio tranquillandi duci potest, quam uterque scholiastes inesse contendit? Itaque etiam haec interpretandi ratio prorsus refutanda est. Videntur autem ea maxime re adducti esse interpretes, ut *μετακύμιος* tam perverse explicarent, quod alioquin plane desiderabant notionem servandi et adiuvandi, quae in huiusmodi Apollinis imploratione utique opus esse videbatur. At haec ipsa notio nonne satis superque iam nomine *Παιάν* continetur? Consulto enim hoc Apollinis epitheto usus esse videtur chorus, ut ipso nomine indicaret, sese cupere adiutorem Apollinem advenire et malorum averruncum. Quo concesso iam nihil nos impedit, quominus *μετακύμιος* secundum analogiam verborum supra allatorum intellegamus »inter fluctus«, ut sit *μετακύμιος ἄτας* dictum pro *μετὰ κυμάτων ἄτας.* Totius igitur loci haec fere evadit sententia: »utinam, o Paean, appareas inter fluctus miseriarum (sc. ut vere Paean)«. Itaque etiam hoc loco, etsi non ipsis verbis dicitur, sententiae subiecta est imago illa, ex qua varii malorum casus cum fluctibus comparantur.

Iam ad reliquas metaphoras a maris motu deductas porro progrediamur. Atque aestus quidem maritimi unam translationem praebet Euripides. Vocabulum *πλημμυρίς* enim, quo aestum significabant Graeci, Alc. v. 183 sq. ad lacrimarum rivum traductum est hunc in modum: *πᾶν δὲ δέμνιον Ὀφθαλμοτέγκτῳ δεύεται πλημμυρίδι*, ad quae iam Monkius perapte contulit Aesch. Choeph. v. 185 sq.: *ἐξ ὀμμάτων δὲ δίψιοι πίπτουσί μοι Σταγόνες ἄφαρκτοι δυσχίμου πλημμυρίδος.* — Nec crebrior est usus metaphoricus substantivi *σάλος*, quod a maris iactatione ad terrae motum translatum est Iphig. Taur. v. 46: *χθονὸς δὲ νῶτα σεισθῆναι σάλῳ.* Cfr. Aesch. Prom. v. 1081: *χθὼν σεσάλευται.* — Transeo ad adiectivum *παλίῤῥους*, quod cum proprie de mari ultro citroque aestuante dicatur, metaphorice ad rem vagam volubilemque adumbrandam bis ab

Euripide usurpatum est. Sic Herc. fur. v. 737 chorus necopinato Herculis adventu subita conditionis commutatione facta canit: *ἰὼ δίκα καὶ θεῶν παλίῤῥους πότμος*, quo loco vocabulo *παλίῤῥους* simul significatio quaedam eius rei inesse videtur, quod optimo iure mala consilia a Lyco in Herculis propinquos agitata in ipsius auctoris caput reciderunt. — Prorsus eadem est ratio loci alterius, qui continetur Electrae versu 1155, ubi *δίκα παλίῤῥους* appellatur (cfr. Weilius). Ceterum proxime accedunt ad huius usus similitudinem translationes vocabulorum *παλίῤῥοια* et *παλιῤῥόθιος*, quae tamen apud ipsum Euripidem non reperiuntur. —

Extremum est, ut de eis verbis agamus, quae proprie ad strepitum maris referenda videntur. Quorum e numero hac § solum vocabulum *ῥόθιον* commemorandum est, quod quidem semel modo ab Euripide translatum est. Cum enim proprie maxime de maris murmurantis fremitu dicatur, quocirca plurali numero positum saepius ipsas undas frementes significat, Andr. v. 1096: *κἀκ τοῦδ' ἐχώρει ῥόθιον ἐν πόλει κακόν* de murmure hominum rem secum communicantium adhibitum est. Eadem translatione haud raro verba a radice *ῥοθ* derivata veluti *ῥόθος, πολύῤῥοθος, ταχύῤῥοθος, ῥοθεῖν, ἐπιῤῥοθεῖν, κακοῤῥοθεῖν* (cfr. § 3) de hominum sermone usurpari notissimum est. Coenen quidem l. l. p. 99 sq. omnia haec vocabula e remorum sonitu translata esse contendit, sed certe iniuria. Nam vim radicis multo latius patuisse eamque ad maris strepitum qualibet caussa effectum spectasse ex usu singulorum vocabulorum accuratius inspecto et comparato facile colligi potest*). Quin etiam ei ipsi loci, quibus Coenen apud Euripidem *ῥόθιον* proprie dictum esse statuit (Iphig. Taur. v. 1387; Cycl. v. 17; Hel. v. 1118, 1452, 1502) praeter unum Cyclopis, ubi re vera remorum sonitus intellegatur necesse est, cuncti *ῥόθιον* exhibent significatione illa magis generali positum. Nimirum verbum ab hac generali notione profectum etiam maris strepitum remis excitatum significare potuit et ab hac speciali significatione defluxisse metaphoram Aristoph. Eq. v. 546: *αἴρεσθ' αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον*, ubi ad applausum in theatro transferri vocem recte Coenen animadvertit, haudquaquam nego. Sed ubicunque huiusmodi explicatione carere possumus, ut in ea re, de qua hic agitur, semper metaphorae ad notionem priorem et ampliorem revocandae sunt. —

*) Cfr. Hesychius, qui interpretatur *ῥόθον τὸν ἀπὸ τῶν κυμάτων ψόφον.* — Cfr. etiam Koechly ad Iphig. Taur. v. 408. —

§ 3. *Ἐπιῤῥοθεῖν, κακοῤῥοθεῖν, ἐπικλύζειν, κατακλύζειν, καλχαίνειν.*

Restat, ut ex proposito verba recenseamus e mari concitato traducta. Ex his apud Euripidem ea tantum exstant, quae superscripsi eaque admodum rara. Non igitur Euripides metaphorice adhibuit verba simplicia *ῥοθεῖν* et *κλύζειν*, quorum illud apud Sophoclem (Antig. v. 259, 290), hoc apud Aeschylum (Ag. v. 1182*)) occurrit translatum, itemque usum metaphoricum verborum *κυμαίνειν* et *καχλάζειν*, quibus Aeschylus improprie usus est (Sept. v. 443; ibid. v. 115 et 761), prorsus recusasse videtur. — Primum placet de verbo composito *ἐπιῤῥοθεῖν* quaerere, quod ad hominum voces saepius transferri solere iam strictim mentionem intulimus in antecedenti § p. 15. Neque hic usus apud Euripidem deest quamvis exiguis finibus coërcitus. Usurpavit enim poëta verbum solo sensu applaudandi et approbandi, id quod optime testantur singuli loci per se satis perspicui: Or. v. 901: *ἐπεῤῥόθησαν δ' οἱ μὲν***) *ὡς καλῶς λέγοι*. Phoen. v. 1238: *πάντες δ' ἐπεῤῥόθησαν Ἀργεῖοι τάδε****). Hec. v. 553: *λαοὶ δ' ἐπεῤῥόθησαν*†). Prorsus contrariam significationem maledicendi idem verbum *ἐπιῤῥοθεῖν* habet Soph. Trach. v. 264: *ὃς αὐτὸν . . . πολλὰ μὲν λόγοις Ἐπεῤῥόθησε*, cum media notio clamandi occurrat apud Aeschylum Choeph. v. 458: *στάσις δὲ πάγκοινος ἅδ' ἐπιῤῥοθεῖ κτέ.* — Contra e vi ipsius compositionis in malam tantum partem reperitur translatum *κακοῤῥοθεῖν* verbum, quo tragicorum solus Euripides usus est. Loci, qui omnes perhibent verbum transitive positum, sunt hi: Alc. v. 707: *παῦσαι δέ, πρέσβυ, παῖδα σὸν κακοῤῥοθῶν*. Hipp. v. 340: *τέκνον, τί πάσχεις; συγγόνους κακοῤῥοθεῖς*; fragm. 713: *ἅπασαν ἡμῶν τὴν πόλιν κακοῤῥοθεῖ.* —

Progrediamur ad verba idem fere significantia *ἐπικλύζειν* et *κατακλύζειν*. Utriusque propria est vis inundandi, quae eodem modo atque apud nostrates et Latinos

*) Haud sum nescius, emendatione tantum hoc loco in textum venisse *κλύζειν* pro tradito *κλύειν*, quod in sententiam minime quadrat. Sed cum vox illa a Schützio coniecta ex omni ratione satisfaciat, quin etiam ipsis verbis proxime antecedentibus *κύματος δίκην* utique efflagitetur, meo iure eam eodem loco habere mihi videor, ac si re vera tradita esset.

**) Variam lectionem *λαοὶ δ' ἐπεῤῥόθησαν*, quam nonnulli codices praebent Hermannusque in textum recepit, recte statuitur ex Hecubae versu 553 posterius laudando in textum esse illatam.

***) Cfr. schol. *ἐπεῤῥόθησαν: ἀντὶ τοῦ ἐπὶ τούτοις ἤχησαν (ἀπὸ μεταφορᾶς τοῦ ἤχου τῶν κυμάτων) ὡς δίκαια τάδε ἡγούμενοι.*

†) Schol. *λαοὶ δ' ἐπεῤῥόθησαν: ἐβόησαν. ἐκ μεταφορᾶς τῶν κυμάτων.* —

ad qualemcunque rem transfertur, qua quid cumulatur atque obruitur. Hanc in sententiam *ἐπικλύζειν* semel usurpavit Euripides Troad. v. 1326: *ἔνοσις ἅπασαν ἔνοσις ἐπικλύσει**) *πόλιν* de ruina Troiae. Aeschylus et Sophocles verbum omnino non transtulerunt, ceteri scriptores Graeci nonnumquam. — Nec multo frequentior est usus metaphoricus verbi *κατακλύζειν*, quod semel apud Aeschylum (Sept. v. 1077), bis apud Euripidem improprie positum est. Troad. v. 994 sqq. Hecuba inter alia Helenae exprobrat, quod speraverit, sese Sparta relicta Troiam auro abundantem luxuriis suis inundaturam esse. Verba Graeca hic habes: *Σπάρτης δ' ἀπαλλαχθεῖσα τὴν Φρυγῶν πόλιν Χρυσῷ ῥέουσαν ἤλπισας κατακλύσειν Δαπάναισιν.* — Similiter *κατακλύζειν* legitur de miseriarum fluctibus, quibus homines perfunduntur Or. v. 343. De quo loco cum posterius agendum sit subtilius (cfr. § 11 extr.), hic verba tantum affero inde a v. 341: *ἀνὰ δὲ λαῖφος ὥς Τις ἀκάτου θοᾶς τινάξας δαίμων Κατέκλυσεν δεινῶν πόνων, ὡς πόντου Λάβροις ὀλεθρίοισιν ἐν κύμασιν.* — Praeterea breviter hic commemorandus est locus Cycl. v. 677, ubi omnes fere recentiores editores miro quodam consensu Canteri coniecturam acceperunt, qui pro corrupta lectione *κατέκαυσεν*, quae in libris exstat, sagacissime restituit *κατέκλυσεν*, ut totus versus sit: *ὁ μιαρός, ὅς μοι δοὺς τὸ πῶμα κατέκλυσε.* Dicit igitur Polyphemus (huius enim sunt verba), sese ab Ulixe vino quasi inundatum esse, quod et per se admodum arridet et in personam Polyphemi optime videtur quadrare; cfr. eiusdem tabulae v. 577 (§ 5) et 362 et 505 sq. (§ 6).

Superest translatio, quae non tam ab ipso mari iactato, quam ab eius colore videtur esse profecta. Dico translationem verbi *καλχαίνειν*. Cum enim mare concitatum purpureum esse (*καλχαίνειν*) veteribus videretur, primum illud verbum de undarum motibus in universum, deinde figurate etiam de animo commoto usurparunt**). Cuius usus singula praebent exempla Sophocles et Euripides, cum Aeschylus eo plane abstinuerit. Heracl. v. 40 Iolaus se Heraclidarum cura agitari sic exprimit: *ἐγὼ μὲν ἀμφὶ τοῖσδε καλχαίνων τέκνοις κτέ.* Similis ratio est loci Sophoclei, praeterquam quod verbum *καλχαίνειν* exhibet transitive positum. Exstant enim Antig. v. 20 ab Ismena ad Antigonam dicta haec: *δηλοῖς γάρ τι καλχαίνουσ' ἔπος*, ad quae cfs. Nauckii annotationem. —

*) Ex eis, quae nuper in Fleckeisenii Annalibus suppl. VII p. 415 de hoc loco disseruit Weckleinius, veri simillimum evasit, traditum *ἐπικλύσει* mutandum esse in *ἐπικλύζει*, quoniam de tempore praesenti, non de futuro agitur. —

**) Cfr. Hesychii glossa: *καλχαίνει· ταράσσει. πορφύρει. στένει. φροντίζει. ἄχθεται.* — Vide etiam Radtkium progr. p. 10. —

§ 4. *Γαλήνη, γαλάνεια, γαληνός, γαληνίζειν, καλλιγάληνος, εὐδία.*

Cum duabus proximis §§ translationes a mari turbato sumptas composuerimus, iam hac § accedamus ad eas metaphoras enucleandas, quae ad mare placidum revocandae sunt. Et sunt quidem duo praecipue verba, quibus Graeci maris tranquilli statum exprimebant: *γαλήνη* et *εὐδία*. Utrumque Euripides usurpavit metaphorice. Sed multo magis videtur delectatus esse verbo antiquiore *γαλήνη*, quod iam apud Homerum legitur, eiusque derivativis, quam vocabulo *εὐδία*, quod semel modo improprie adhibuit. — Sophocles prorsus ab hoc usu abhorruisse videtur; nullum horum vocabulorum transtulit, uno loco *γαλήνη* in comparatione posuit (Electr. v. 899), ceteris vocabulis, quae huc spectant, ne propria quidem significatione usus est. Contra Aeschylus ut alioquin ita hac quoque re Euripidis similior et *εὐδία* et *γαλήνη* per translationem usurpavit, quamquam semel tantum utrumque (Sept. v. 795; Ag. v. 740). — Iam vero apud Romanos plane respondere vocabula tranquillitas et tranquillus proprie de mari dicta, non est cur multis exsequar, cum eorum translatio sit frequentissima et prorsus vulgaris facta.

Itaque iam singularum Euripidis usum paullo accuratius examinemus primumque eos locos percenseamus, quibus continentur translationes variae vocabulorum cognatorum *γαλήνη, γαλάνεια, γαληνός* aliorum. Quorum e numero ipsa vox *γαλήνη* apud Euripidem non invenitur translata nisi fragm. 332, ubi coeli aestate sereni, hieme nubili, cum hominum sorte comparatio hunc in modum finitur v. 6 sq.: *οὕτω δὲ θνητῶν σπέρμα τῶν μὲν εὐτυχεῖ Λαμπρᾷ γαλήνῃ, τῶν δὲ συννέφει πάλιν κτέ.* Attamen totum hunc locum a quaestione nostra satis alienum esse putaverim. Nam quoniam comparatio, quam continet, non tam ad mare quam ad coelum spectat, etiam *γαλήνη* vocabulum consentaneum est non a mari, sed a coelo translatum esse, cuius statum tranquillum aeque bene ac malaciam significare potest, cum ambae res semper coniunctae sint neque altera sine altera esse queat. Huc accedit quod etiam imago, quae inest in verbo sequenti *συννέφει*, de coelo petita est. — Contra utique de mari cogitandum est Iphig. Aul. v. 546 sq., ubi forma dorica *γαλάνεια* ad animi tranquillitatem traducta est. Leguntur enim ibi: *γαλανείᾳ χρησάμενοι Μαινολῶν**) *οἴστρων* de iis dicta, qui etiam in amore auream mediocritatem tenent. Recte igitur vertit

*) Sic cum Nauckio correxi traditum *μαινόμεν'*, quod quin sit corruptum, dubium esse nequit. Editores plerique Reiskium secuti in textum receperunt *μαινομένων*. Weckleinius nuper legendum proposuit: *μανιάδων*. —

verba allata Matthiaeus »tranquillitate ab insano amoris affectu« perapteque comparat *τῶν ἀφροδισίων εἰρήνη καὶ ἐλευθερία* ap. Plat. Rep. I. p. 151. —

Porro huc pertinent Iphigeniae Tauricae versus 344 et 345: *ὦ καρδία τάλαινα, πρὶν μὲν εἰς ξένους Γαληνὸς ἦσθα καὶ φιλοικτίρμων ἀεί*, quae verba secum colloquitur Iphigenia, postquam de Orestis Pyladisque adventu certior facta hos adduci iussit sacrificandos. Hic igitur *γαληνός* adiectivum, ut luculentissime sensus docet, idem fere significat atque Latine benignus vel mansuetus. — Idem quodammodo valet de Hecubae versu 1160, qui perhibet verborum coniunctionem *ἐκ γαληνῶν προσφθεγμάτων*, post blanda alloquia. — Etiam *γαληνίζειν* verbum, quod proprie omnino non videtur in usu fuisse, semel legitur apud Euripidem fragm. 1064 v. 4 de iis, qui animum aerumnis oppressum turbatumque non amicorum adhortationibus, sed vino tranquillare student. Verba sunt haec: *ὅστις δὲ ταύτῃ τῇ νόσῳ (λύπῃ) ξυνὼν ἀνὴρ . . Μέθη ταράσσει καὶ γαληνίζει φρένα κτέ.* — Compositum denique, cuius hoc loco mentio facienda est, occurrit in Euripidis fabulis unum idque semel usurpatum: *καλλιγάληνος*. Chorus enim Troad. v. 835 sqq. Ganymedis, quondam Troiani, felicitatem componens Troiae eversae infortunio ipsum Ganymedem beatum praedicat hunc in modum: *σὺ δὲ πρόσωπα νεαρὰ χάρισι παρὰ Διὸς θρόνοις Καλλιγάλανα τρέφεις*, i. e. tu vero iuvenilem faciem laetitia ad Iovis solium percipienda tranquillam venustamque alis. Item de vultu positum est *διαγαληνίζειν* verbum apud Aristophanem Eq. v. 646: *τῶν δ' εὐθέως τὰ πρόσωπα διεγαλήνισεν.* —

Reliquum est, ut etiam *εὐδία* vocis unicam translationem Euripideam afferamus. Exstat Andr. v. 1145 sq.: *ἐν εὐδίᾳ δέ πως Ἔστη φαεννοῖς δεσπότης στίλβων ὅπλοις*, quibus verbis elegantissime depinxit poëta habitum tranquillum impavidumque Neoptolemi plane contrarium fugae praecipiti Delphorum, quae versibus antecedentibus perspicue enarratur*). Cfr. Aesch. Sept. v. 795: *πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ κτέ.*

Comparatio a maris tranquillitate ducta apud Euripidem occurrit una tantum Or. v. 727 sq., de quo loco cfs. § 10 extr.

*) Haud male Fritze locum transtulit ita: Doch — ein ruhig Meer — Stand mein Gebieter, strahlend in der Waffen Glanz.

§ 5. *Βόλος, ἐκνεῖν.*

Hac § quasi additamentum duo genera translationum complectemur, quae quamquam etiam ad aquam dulcem referri possunt, tamen quam maxime ad »vada salsa« spectare videntur. Sunt metaphorae ab artibus nandi atque piscandi petitae. Utriusque generis apud Euripidem singula tantum exstant vocabula: *βόλος* et *ἐκνεῖν*, quorum utrumque in Aeschyli et Sophoclis tragoediis plane desideratur. Ac vocabuli *βόλος* quidem apud Euripidem duplex translatio discernenda est e diversis vocabuli significationibus profecta. E vulgari enim notione, quae est retis iactus, primum quidem per metonymiam nata est significatio piscium captorum et ab hac Eur. Electr. v. 582 Orestes transtulit verbum ad caedem Clytaemnestrae Aegisthique a se perpetrandam. Verba quibus respondet Electrae sunt haec: *σύμμαχός γέ σοι μόνος Ἢν ἀνσπάσωμαί**) *γ' ὃν μετέρχομαι βόλον.* Iam vero huic translationi neque apud ipsum Euripidem neque apud ceteros poëtas Graecos quidquam potui reperire quod componerem. Contra aliquam comparationem habet Plaut. Bacch. I v. 102, ubi ad meretricis quaestum piscatus vox exstat traducta: quia piscatus meo quidem animo hic tibi hodie evenit bonus. — — Altera vocis *βόλος* metaphora, quam praebet Euripides, revocanda est ad retis significationem, quae nonnumquam vocabulo subiecta est. Hinc enim profectus Euripides *βόλος* usurpavit de insidiis necopinatis, in quas incidit quis. Hanc in sententiam Bacch. v. 848 Dionysus de Pentheo, cui persuasit, ut veste mutata pestiferas Bacchas adiret: *ἀνὴρ εἰς βόλον καθίσταται.* — Similiter Rhes. v. 730 chorus excubans, qui Rhesi aurigam adeuntem non statim agnoscit, postquam silentium fieri iussit, addit: *ἴσως γὰρ εἰς βόλον τις ἔρχεται.* —

Hae sunt metaphorae Euripideae ad piscatum haud dubie referendae. Retis quidem imago etiam alioquin apud omnes tres tragicos occurrit, sed ex alius rei ambitu petita. Dico venationem, ad quam exercendam veteribus retia haud minus usui erant quam ad piscandum. Itaque cum omnino metaphoris e re venatica desumptis valde indulgerent Graeci, etiam retis imaginem potius a venatione quam a piscatu

*) Ita Weilius immutavit traditum *ἢν δ' ἀσπάσωμαί γ'*, pro quo Victorius *ἢν δ' ἐκσπάσωμαί γ'*, Musgravius *ἢν ἐκσπάσωμαί γ'*, Nauckius *νῦν δὲ σπασαίμην γ'*, Kirchhoffius *ἢν εὖ σπασώμεθ'* sive *εἴθ' εὖ σπασαίμεθ'*, Weckleinius *ἢν ἁρπάσωμέν γ'* legi voluerunt. Mihi quidem Weilii emendatio maxime arridet, quippe quae et ad verba tradita proxime accedat et in retis imaginem optime quadrare videatur, cum *ἀνασπᾶν* verbum saepius adhibeatur de re e maris altitudine tollenda. —

mutuari solebant. Cuius generis exempla satis multa affert Hense l. l. p. 162, ubi etiam usus Latinus, qui prorsus respondet Graeco, breviter perstringitur. —

Restant iam metaphorae verbi *ἐκνεῖν* paucis illustrandae. His nimirum ea imago subest, ex qua mari illapsus quis, cum nando ad litus proximum evadat, servatur. Ita factum est, ut *ἐκνεῖν* verbum metaphorice positum in effugiendi notionem transierit; eodem sensu apud Romanos enatandi verbum transtulit Cicero Tuscul. V. 31, 87: reliqui habere se videntur angustius, enatant tamen. — Inter scriptores Graecos translatio propria videtur fuisse Euripidis, cuius iam proponendi sunt singuli loci. Hipp. v. 470 nutrix ad Phaedram: *εἰς δὲ τὴν τύχην Πεσοῦσ' ὅσην σὺ πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκεῖς;* et ibid. v. 822 sqq. Theseus imaginem etiam accuratius persequens: *κακῶν δ' ὦ τάλας πέλαγος εἰσορῶ Τοσοῦτον ὥστε μήποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν Μηδ' ἐκπερᾶσαι κῦμα τῆσδε συμφορᾶς*, de quibus cfs. § 1 p. 9. — Porro eadem translatio sese videtur offerre Iphig. Taur. v. 1186, ubi Thoas ad Iphigeniam, quam officii memorem refutasse opinatur Orestis Pyladisque illecebras: *σὺ δ' εἰς τὸ τῆς θεοῦ γ' ἐξένευσας εἰκότως.* Et statuerunt profecto omnes fere recentiores interpretes *ἐξένευσας* formam hoc loco deducendam esse ab *ἐκνεῖν* verbo improprie dicto, quam in sententiam Klotzius locum bene interpretatur: »ita quasi enando declinavisti periculum, ut te ad deae officium applicares«. Solus quidem Weilius nuper in editione sua *ἐξένευσας* illud potius ab *ἐκνεύειν* flecti voluit sensu sese avertendi. Quae interpretatio etsi in universum sententiam efficit eandem neque argumentis utique refelli potest, tamen mihi quidem altera illa explicandi ratio ideo videtur esse praeferenda, quod et sententiam praebet multo significantius pulchriusque dictam et usu Euripideo verbi *ἐκνεῖν* optime confirmatur. — Denique etiam vi comica translatum est *ἐκνεῖν* verbum Cycl. v. 577. Ibi Polyphemus postquam poculum meri vini uno potu hausit, quasi vini mare aegre nando transmisisset, lepidissime exclamat: *ὡς ἐξένευσα μόγις· ἄκρατος ἡ χάρις.* —

Iam vero omnibus locis, qui huc pertinent, Euripideis pertractatis non solum huic §, verum etiam toti capiti finis imponatur necesse est. Exhaustis enim translationibus iis, quas a maris rationibus mutuatus est Euripides, iam ab elemento illo totius navigationis progredi licet ad ipsam artem navigandi, quae etiam pluribus metaphoris inservit. Quas proponendi atque subtiliter explicandi locus dabitur capite insequenti, quo omnino acturi sumus:

Caput II.

De translationibus e re navali petitis.

Partic. I.

De metaphoris, quae referendae sunt ad ipsa navigia eorumque ornamenta.

§ 6. *Ἐφολκίς, πορθμίς, σκάφος, ὁλκάς, σέλμα.*

E nova translationum classi, quae nunc in quaestionem vocanda est, hac § eas potissimum contemplabimur, quae ad tota navigia spectant*). Exordiamur a vocabulo *ἐφολκίς*, quod proprie significat scapham, quam reste nexam secum trahit navis ad vectores sive recipiendos sive rursus in terram exponendos. Itaque quoniam *ἐφολκίς* appendix quaedam est maioris navigii, quod sequitur, eiusque cursum haud mediocriter retardat, Euripides figurate usurpavit verbum de iis, qui cum suis stare viribus nequeant, tanquam umbra sequuntur alios, quibus nimirum saepius oneri molestiaeque sunt. Hanc in sententiam Herc. fur. v. 631 sq. Hercules liberos, qui Lyci metu territi patrem necopinatu ex inferis reversum pallio apprehendunt nec dimittere volunt, sui ipsius appellat *ἐφολκίδας* his verbis usus: *ἄξω λαβών γε τούσδ' ἐφολκίδας χεροῖν, Ναῦς δ' ὣς ἐφέλξω.* Postea vero idem Hercules, cum gravi calamitate plane oppressus Theseum Athenas secuturus est, haud male sui ipsius conditionem imagine scaphae putris depinxit. Dicit enim in fine fabulae v. 1423 sq.: *ἡμεῖς δ' ἀναλώσαντες αἰσχύναις δόμον Θησεῖ πανώλεις ἑψόμεσθ' ἐφολκίδες.* — Praeter hos locos *ἐφολκίς* modo legitur translatum Andr. v. 199 sq., ubi Andromacha ad Hermionen: *πότερον ἵν' αὐτὴ παῖδας ἀντὶ σοῦ τέκω Δούλους ἐμαυτῇ τ' ἀθλίαν ἐφολκίδα***); cuius loci id proprium est, quod non tam subsequendi quam degravandi atque impediendi notio potissimum urgetur. — Ceteri tragici Graeci ab hoc usu prorsus abhorrent; eum igitur primus Euripides suum videtur fecisse. Quamquam posteris temporibus similia nonnumquam occurrunt. Sic

*) Huiusmodi translationes collegit e Plauti fabulis I. Brix ad Mil. Glor. v. 986, e Shaksperii operibus I. Schuemann l. l. p. 6 sqq.

**) Hunc locum haud dubie respiciens Hesychius interpretatur *ἐφολκίδα* per *ἐπαχθείαν*. — Similiter schol. *ἐφολκίδα: προσθήκην κακῶν καὶ βάρος· ἐκ μεταφορᾶς τοῦ μικροῦ πλοίου τοῦ ἐφελκομένου τῷ μεγάλῳ.* —

eadem imagine atque *ἐφολκίς* verbum cognatum *ἐφόλκιον* legitur in comparatione Plut. Pomp. cap. 40, itemque apud Athenaeum VI p. 242 F in Anaxandridis comici fragmento parasita, qui patroni sui semper est pedisequus, *λέμβος* appellatur. —

Iam persequamur cetera exempla Euripidea, quae navigia exhibent figurate dicta. Huc imprimis pertinet locus Cycl. v. 361 sq., ubi navigium vectorium (*πορθμίς*) exstat metaphorice positum. Ibi enim chorus Satyrorum ad Cyclopem, qui in usum suum praeparavit carnem Graecorum occisorum, eloquitur haec: *μή μοι μὴ προδίδου· Μόνος μόνῳ κόμιζε πορθμίδος σκάφος.* Quorum versuum sententiam Hermannus interpretari studet hisce: »ne mihi prode haec: id est, fac ne frustra haec apparaverimus: solus soli tibi confer hanc celocem: quod est, solus soli tibi inger quas nos aversamur carnes humanas«. Sed suo iure Weckleinius (Annal. Fleckeisen. suppl. VII p. 403) prioris versus explicationem Hermannianam reiecit recteque monuit totius loci contextum utique requirere sententiam iam ab Hoepfnero indicatam »gib mir nichts davon; iss du es allein«. Quamquam in verbis traditis *μή μοι μὴ προδίδου* hunc non inesse sensum, emendationem vero incertam esse, vir doctus libenter concedit. Nam etiam Madvigii coniecturam (Adv. crit. p. 267): *μή μοι μὴ προσδίδου* (»ne mihi partem dederis«), quae sensui prorsus satisfaceret, propter offensionem metricam non utique approbandam esse censet. Quapropter cum mihi quoque emendatio, in qua ex omni parte acquiescere possimus, non in mentem venerit, iam priore versu misso facto ad subsequentem nos convertamus, quem et ipsum Weckleinius in dubitationem vocavit. Dicit enim l. l.: »Absolut verlangt *πορθμίδος σκάφος*, wenn es verständlich sein soll, eine nähere Bestimmung. Verständlich ist z. B. der Gebrauch von *πορθμίς* in dem Bruchstück des Philoxenus bei Athen. p. 643 A *πορθμίδας πολλῶν ἀγαθῶν πάλιν εἴσφερον γεμούσας*. Kurz und gut, es liegt hier ein Fehler vor, der sich auf die leichteste Weise bessern lässt durch: *μόνος μόνῳ γέμιζε πορθμίδος σκάφος* »allein fülle dir voll des Schiffes Bauch, d. h. allein nimm dir eine volle Schiffsladung«. Comparat praeterea vir doctus eiusdem Cyclopis verss. 505 sq., de quibus infra videbimus. — Sed quamquam Weckleinii coniecturam admodum speciosam esse nemo non videt, tamen haud scio an verba tradita Hermanni interpretatione accepta retineri possint. Videtur enim *πορθμίδος σκάφος* per metaphoram ipsius cibi copiam Cyclopi devorandam illustrare, similitudo vero in ea potissimum re esse posita, quod plerumque vectorium navigium onere est refertissimum. Quod ut etiam magis indicaret poëta, pro simplici voce *πορθμίδα* adhibuit locutionem *πορθμίδος σκάφος*, quippe cum non tam sit tota navis quam eius alveus (*σκάφος*), qui onera fert. — Sequuntur in eodem Cyclope vss. 505 sq.: *σκάφος ὁλκὰς ὣς γεμισθεὶς Ποτὶ σέλμα γα-*

στρὸς ἄκρας. Loquiter haec Cyclops ventrem suum vino ciboque oneratum comparans cum navi oneraria (*ὁλκάς*), quae usque ad constratum (*σέλμα*) oneribus completa est. Vocabulum *σέλμα* vero secundum usum notissimum ex ipsa comparatione traductum est in eam rem, ad quam illustrandam tota comparatio instituta est. Sic in universum omnia perbene intelleguntur. Ea tantum remanet quaestio subdifficilis, qui sit intellegendum quoque referendum *σκάφος* illud initio sententiae positum. Qua in re facere non possum, quin eorum vestigia sequar, qui cum *σκάφος* pro nominativo habeant et navem intellegant, verbis *σκάφος ὁλκάς* per pleonasmum quendam unam navis notionem effici volunt. Huiusmodi vero pleonasmus, ex quo substantivo generali aliud quoddam speciale et ipsum substantivum *ἀσυνδέτως* adiungitur, optime comprobatur exemplis similibus aliorum scriptorum Graecorum, qualia sunt *παῖς κόρη* (Ar. Lys. v. 595), *βάτραχος γυρῖνος* (Plat. Theaet. p. 161 D), *θηρίον ἀλώπηξ* (Strab. XV p. 706), *νόσος λύσσα* (Paus. IX 2), *ἄνεμος οὖρος* (Aelian. N. A. III 13) et notissima illa Homerica *σῦς κάπρος, ὄρνις αἰγυπιός*, alia id genus*). Non igitur opus est contortis Lobeckii et Hermanni interpretationibus. Quorum ille (Paralip. gramm. Graec. p. 263), qui *σκάφος*, quod alveum navis intellegere videtur, accusativum q. v. respectivum ad substantivum *ὁλκάς* referendum esse censet, sic construit: *γεμισθεὶς ὡς ὁλκὰς τὸ σκάφος*, quae tamen constructio ipsa tradita verborum collocatione quam maxime refutatur. Hermannus ceteroquin Lobeckii interpretandi rationem secutus *σκάφος* non ad *ὁλκάς*, sed ad ipsum Cyclopem revocavit: *τὸ σκάφος γεμισθεὶς ὡς ὁλκάς*. At haec explicatio rursus ideo ferri non potest, quod tautologiam efficit intolerabilem. Esset enim secundum Hermannum *σκάφος* illud figurate pro ipso ventre positum, cuius iterum fieret mentio versu insequenti! — Ceterum ad totius loci imaginem proxime accedit Plaut. Pseud. V. 2, 12, ubi Stichus ad Pseudulum ebrium: set dic tamen, Unde onustam celocem agere te praedicem. — — Pergamus ad Andromachae versus 854 sq., quos Nauckius sic edidit: *ἔλιπες ἔλιπες, ὦ πάτερ, ἐπακτίαν [ὡσεὶ] μονάδ' ἔρημον οὖσαν ἐνάλου κώπας*. Verba sunt Hermiones, quae se a patre derelictam esse conqueritur. Quod per imaginem ita exprimit, ut comparet sese cum navigio in litore constituto, quod ne in altum raptum aut litori illisum pereat summum periculum est. Haec fere sententia loco videtur esse subiecta. Singula vero accuratius contemplati utique desideramus substantivum, ad quod referatur *ὡσεί* particula comparativa quoque ipsius navis notio adumbretur. Cui offensioni Brunckius quidem ita studuit subvenire, ut proponeret legendum: — *ἐπακτρίδα μ' ὡσεί κτἑ.* cum Iacobsius (Curae secundae in Euripidis tragoedias p. 66 sq.) Brunckii coniectura argumentis admodum probabilibus refutata sic censuerit scribendum — *ἐπακτίαν ὡσεί μ' ὁλκάδ' ἔρημον κτἑ.* Quam emendationem perfacilem equidem accipere malim quam recentiores editores sequi, qui *ὡσεί* illud ut ab interprete additum partim uncis incluserunt partim omnino e textu removerunt.

*) Cfr. Bernhardy, wissenschaftl. Syntax der Griech. Sprache p. 192 sq.

Reliquum est, ut breviter memoremus comparationem, quae continetur Troadum vss. 538 sqq. hisce: *κλωστοῦ δ' ἀμφιβόλοις λίνοιο** *ναὸς ὡσεὶ Σκάφος κελαινὸν εἰς ἕδρανα . . . . . Παλλάδος θέσαν θεᾶς*. Agitur hoc loco de equo Troiano, cuius in Troiam invectionem describit chorus. Comparat autem monstrum illud funibus intra Troiae muros tractum cum navis alveo sive in aquam deducendo sive ad litus subducendo.

§ 7. *Ἀντίπρωρος, πρύμνη, ἄγκυρα, ὁρμίζεσθαι, ὀχεῖσθαι, ἑρματίζειν.*

Metaphorarum e navigii partibus eiusque ornamentis desumptarum hoc quidem loco parvus tantum numerus percensendus est. Multas enim huiusmodi translationes, cum e verborum ac sententiarum conexu proficiscentis navis imaginem utique postulent, in alteram huius capitis particulam dimittere cogimur, quippe qua omnino metaphoras ad cursum navis pertinentes complecturi simus. Ex iis quae restant metaphoris primum sub examen vocare placet eas, quas a prora et a puppi navali mutuatus est Euripides. Prora quidem ipsa figurate apud Euripidem non dicta est nisi Troad. v. 103, de quo loco cfs. § 14. — Adiectivum inde derivatum *ἀντίπρωρος* bis metaphorice positum est. Cum enim proprie dicatur de navibus, quae ut rostris concurrant proras habent oppositas vel de iis, qui sunt in navibus ita directis, sensu metaphorico occurrit de telis obviam intentis Electr. v. 845 sqq.: *ἀνδρείας δ' ὕπο Ἔστησαν ἀντίπρωρα σείοντες βέλη Πυλάδης Ὀρέστης τ'*. — Paullo aliter sese habet locus alter Rhes. v. 136: *πυρὰ κατ' ἀντίπρωρα ναυστάθμων δαίεται*, ubi verba *κατ' ἀντίπρωρα ναυστάθμων* nihil aliud videntur significare nisi »ad anteriorem partem stationis navium«, adiectivo a navibus, quarum est statio, ad ipsam stationem traducto. Cfr.

*) Hanc genuinam esse scripturam pro *λίνοισι*, quod codices exhibent, sagacissime coniecit Kirchhoffius e scholiastae interpretatione: *καθάπερ ναὸς σκάφος κλωστοῦ λίνου ἀμφιβόλοις, ὅ ἐστι σχοινίοις, οὕτως ἐπὶ τὸν ἵππον ἐπέβαλον.* —

Soph. Trach. v. 223 sq.: τάδ' ἀντίπρῳρα δή σοι βλέπειν πάρεστ' ἐναργῆ. — Puppis metaphora fortasse statuenda est in Electrae versibus 445 sq. hisce: ἀνά τε Πήλιον ἀνά τε πρύμνας Ὄσσας ἱερὰς νάπας κτἑ. Sic ediderunt locum Kirchhoffius et Nauckius, qui cum πρύμνας scribant, haud dubie construunt: — ἀνά τε ἱερὰς νάπας πρύμνας Ὄσσας, ita ut πρύμνας genetivus pendeat e voce νάπας, Ὄσσας vero genetivus rursus ad πρύμνας referendus sit. Qua in re si sequimur viros doctos, πρύμνας illud per metaphoram summam partem sive cacumen montis intellegamus necesse est. Quae metaphora ut per se admodum probabilis est, ita Hesychii glossa πρύμναν αἱ ἄκραι valde confirmatur. Neque tamen prorsus refutandae videntur ceterorum editorum de hoc loco sententiae, qui cum in eo consentiant, quod vocem traditam de adiectivo πρυμνός derivandam esse censent, alii genetivum numeri singularis (πρυμνᾶς ad Ὄσσας referendum, alii accusativum pluralis numeri (πρυμνάς) ad νάπας construendum scribi iubent. — Weckleinius nuper pro ἀνά τε πρύμνας Ὄσσας coniecit: ἀνά τ' ἐρίπνας Ὄσσας. Si omnino coniectura opus esset, equidem proponerem legendum: ἀνά τ' ἐρεμνὰς Ὄσσας ἱερὰς νάπας. — Praeterea hic excutiendus est locus Andr. v. 1120, ubi nuntius de Neoptolemo, quem a Delphis in templo vulneratum retro cedisse indicare vult, locutionem usurpat: χωρεῖ δὲ πρύμναν. Ad quae scholiasta annotat: ὅ ἐστιν εἰς τοὐπίσω ἀνεπόδισεν μὴ δοὺς τὰ νῶτα, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἐναντίους ὁρῶν. τοῦτο δὲ καὶ Θουκυδίδης φησὶ »πρύμναν ἀνακρούοντες«, ὅταν μὴ μεταβαλόμενοι φεύγωσιν, ἀλλ' ἀντίοι ὄντες ἀναχωρήσωσιν. Haec explicatio satis libera est, attamen in universum recta. Thucydidis quidem locum et totam illam de nave inhibenda locutionem iniuria scholiasta in auxilium vocavit, nam neque χωρεῖν idem est atque κρούεσθαι neque accusativus πρύμναν idem in utraque sententia valet, cum in πρύμναν ἀνακρούεσθαι merus sit accusativus obiect[i] in enunciato vero χωρεῖ πρύμναν adverbii magis vice fungatur. Navis enim a part[e] posteriore πρύμνα vocabulum translatum est ad hominis tergum, ut omissa figurata dictione πρύμναν illud idem significet atque nostrum »rueckwaerts«. —

Iam vero quoniam de Ion. v. 928, ubi praeterea puppis in imagine legitur posterius agendum est (cfr. § 12), statim adiungere liceat ancorae translationes Euripideas. Quarum ea ratio est, ut firmamenti vel adminiculi notionem adumbrent atque illustrent*). Et haec quidem generalis earum vis eadem est in Graeca et in nostra Germanorum lingua, quamquam nos hac metaphora solum fere de spe**) et fide uti

*) Cfr. Hesychii glossa ἄγκυραι· μεταφορικῶς αἱ ἀσφάλειαι.

**) Hanc quoque imaginem Graecis non inusitatam fuisse docet Ar. Eq. v. 1244: λεπτ[ή] τις ἐλπίς ἐστ' ἐφ' ἧς ὀχούμεθα. Cfs. quae praeterea attulit exempla Porsonus ad Eu[r.] Or. v. 68. —

mur, Euripides vero Sophoclesque non dubitant de ipsis hominibus ita loqui, quibus nos potius scipionis imaginem admovere consuevimus. Ter tantum Euripides hac occasione evolvendus est: Hec. v. 79 sqq. Hecuba somnii specie de salute Polydori filii sollicita precatur: ὦ χθόνιοι θεοί, σώσατε παῖδ' ἐμόν, Ὃς μόνος, οἴκων ἄγκυρά τ' ἐμῶν*) Τὴν χιονώδη Θρῄκην κατέχει κτἑ. — Simili modo Hel. v. 277 sqq. ipsa Helena queritur Menelaum desiderans: ἄγκυρα δ' ἥ μου τὰς τύχας ὤχει μόνη, Πόσιν ποθ' ἥξειν καί μ' ἀπαλλάξειν κακῶν, Οὗτος τέθνηκεν, οὗτος οὐκέτ' ἔστι δή. — Denique huc pertinet Eur. fragm. inc. 858: ἀλλ' ἥδε μ' ἐξέσωσεν, ἥδε μοι τροφός, Μήτηρ, ἀδελφή, δμωίς, ἄγκυρα, στέγη. — Apud Sophoclem similis ancorae translatio non exstat nisi Phaedr. fragm. IX: εἰσὶ μητρὶ παῖδες ἄγκυραι βίου. In Aeschyli fabulis omnino desideratur. —

Non ancora per se, sed mutua eius et navis ad eam consistentis ratio tribus locis Euripideis respicitur, quibus verba ὁρμίζεσθαι et ὀχεῖσθαι proprie hac de ratione usitata metaphorice dicuntur. Similitudo vero, ex qua singulae translationes profectae sunt, non utique eadem est. Modo enim id urgetur, quod ancora navis coercetur et restringitur nec libero arbitrio moveri potest, modo quod ancora condicio navis confirmatur et munitur. Per metaphoram igitur imagine navis ad ancoram alligatae aut is depingitur, qui e rebus quibusdam pendet nec plane sui iuris est, aut, qui qua re nititur et sustentatur. Ad priorem imaginem pertinet locus Herc. fur. v. 1094 sqq., ubi Hercules e furore mente recepta vinctum sese esse miratus haec edit verba: ἰδού, τί δεσμοῖς ναῦς ὅπως ὡρμισμένος Νεανίαν θώρακα καὶ βραχίονα, ... Ἧμαι νεκροῖσι γείτονας θάκους ἔχων; Similis est ratio loci alterius ibid. v. 203: μὴ ἐκ τύχης ὡρμισμένους, quod est »non e fortuna pendentes«. — Tertius vero locus alteram sequitur sententiam. Exstat Or. v. 67 sqq., ubi Electra: βλέπω δὲ πᾶσαν εἰς ὁδόν, πότ' ὄψομαι Μενέλαον ἥκονθ'· ὡς τά γ' ἄλλ' ἐπ' ἀσθενοῦς Ῥώμης**) ὀχούμεθ', ἤν τι μὴ κείνου πάρα Σωθῶμεν, hoc est »omnes vias animadverto, si qua Menelaum videam appropinquantem; alias enim infirmae sunt vires, quibus nitimur etc«. —

Pervenimus iam ad translationes saburrae navalis, quam rem iure quodam in

*) Sic locum exhibent codices, quorum scripturam affatim tuentur in editionibus suis Hermannus et Pflugkius. Ceteri viri docti, cum offenderent in particula copulativa post ἄγκυρα posita, alius aliam coniecturam in medium protulerunt. Proposuerunt enim legendum Reiskius ἄγκυρ' ἔτ' ἐμῶν, Reisigius ἄγκυρ' ἔτ' ἐμῶν, Kirchhoffius ἄγκυρα πέλων, Meinekius ἄγκυρ' ἁμῶν, Nauckius ἄγκυρ' ἁμῶν, Weckleinius ἄγκυρ' ἐπ' ἐμῶν.

**) Coniectura Nauckiana ῥοπῆς, quam hoc loco Weilius accepit, non video cur opus sit.

navigiorum ornamentis referre nobis videmur. Usurpatur autem haec notio improprie ad quodvis genus onerum molestiarumque indicandum. Hanc in sententiam apud Euripidem solum verbum ἑρματίζειν legitur*), quod, cum nonnumquam saburrandi notionem habeat, forma media ab Euripide translatum est ad eos, qui personas sive res tanquam onus sibimet ipsis iniungunt. Bis hoc modo legitur: fragm. 406 v. 7 sq.: — οὐ γὰρ τῶν τρόπων πειρώμενοι Νύμφας ἐς οἴκους ἑρματίζονται βροτοί. — Similiter fragm. inc. 946: ὅστις πατὴρ πρὸς παῖδας ἐκβαίνει πικρῶς, Τὸ γῆρας οὗτος ἑρματίζεται βαρύ. — Aeschylus et Sophocles ab hac translatione plane abhorrent. Substantivum ἕρμα metaphorice positum est Aesch. Supp. v. 580. —

Partic. II.

De metaphoris, quae spectant ad navis cursum.

§ 8. Πορθμεύειν, ναυστολεῖν, συμπλεῖν, ναύκληρος, οἴαξ, μονόστολος, στολάς, ναυβάτης, ναύτης.

Accedimus iam ad eas metaphoras evolvendas, quibus ipsius navigationis imago subiecta est. Quas ut via et ratione perlustremus, optimum ducimus, primam hanc quaestionem instituere de generalibus quibusdam navigandi notionibus, unde §§ sequentibus ad locutiones magis speciales progrediemur. — Primum locum teneant translationes verbi πορθμεύειν, quod ut propriam significationem et transitivam et intransitivam habet, ita etiam duplici metaphora ab Euripide usurpatum est. Atque a transitiva traiciendi significatione notissima illa translatio orta est, ex qua ad personas sive res terrestri maxime itinere aliquo transportandas traducitur. Huc spectat Ion. v. 1599, ubi legimus: Ἑρμῆν κελεύει δεῦρο πορθμεῦσαι βρέφος. Quae cum de Apolline dicta sint, qui Hermen iussit Ionem infantem Athenis Delphos perferre, certo ut in

*) Duos locos Euripideos, quibus φόρτος figurate occurrit (Iphig. Taur. v. 1306 et Suppl. v. 20) hic praetereo, cum ibi metaphora non tam ad navis onus, quamvis saepe voce φόρτος significetur, quam ad generalem oneris notionem, quae vocabulo continetur, revocanda videatur. — Aliter sese res habet Soph. Trach. v. 537.

itinere terrestri translatio verbi πορθμεύειν statuenda est neque intellegitur, cur Passowius hunc locum eis adiecerit, quibus propriam verbi significationem contineri voluit. — Deinceps de pedibus in eundo proferendis idem verbum positum est Iphig. Taur. v. 266: ἄκροισι δακτύλοισι πορθμεύων ἴχνος et ibid. v. 936: τί γάρ ποτ᾽ εἰς γῆν τήνδ᾽ ἐπόρθμευσας πόδα; — Porro de eis, qui curru vehuntur, eadem metaphora occurrit*) duobus locis: Iphig. Taur. v. 370 sq., ubi Iphigenia de Agamemnone patre: ἐν ἁρμάτων μ᾽ ὄχοις Εἰς αἱματηρὸν γάμον ἐπόρθμευσας δόλῳ atque Troad. v. 568 sq.: Ἑκάβη, λεύσσεις τήνδ᾽ Ἀνδρομάχην Ξενικοῖς ἐπ᾽ ὄχοις πορθμευομένην; — Etiam iter per aërem factum voce πορθμεύειν illustratur Andr. v. 1228 sq., ubi chorus Thetim per aërem appropinquantem conspicatus pronuntiat: δαίμων ὅδε τις λευκὴν αἰθέρα Πορθμευόμενος κτέ. — Restant iam duo loci, qui πορθμεύειν ad animi potius intentionem traductum praebent. Iphig. Taur. v. 1435 Minerva ad Thoanta, qui Orestem eiusque socios persecuturus est: ποῖ ποῖ διωγμὸν τόνδε πορθμεύεις; quae recte vertunt: »quo hanc insectationem promoves?« Nec video qua caussa commotus Nauckius haesitaverit hoc loco in voce πορθμεύεις, pro qua potius πορσύνεις legi vult. Immo lectio tradita etiam confirmatur analogia quadam alterius loci, qui exstat Or. v. 1031 sq. Ibi enim Orestes ad Electram: μὴ πρὸς θεῶν μοι περιβάλῃς ἀνανδρίαν, Εἰς δάκρυα πορθμεύουσ᾽ ὑπόμνησιν κακῶν, quod fere est: ne mihi mentem reddas effeminatam ad lacrimarum effusionem recordationem malorum promovens. Nauckius quidem et Weilius e Musgravii coniectura pro ὑπόμνησιν ediderunt ὑπομνήσει scholiastae interpretatione**) nisi. Subintellegunt igitur ad πορθμεύουσ(α) vocem μέ, ut iam Orestes dicat: recordatione malorum ad lacrimarum effusionem me perducens. Attamen scriptura a codicibus exhibita illo quo dixi modo perbene videtur posse explicari, quapropter non est, cur eam commutemus. —

Ad intransitivam vim verbi πορθμεύειν una tantum translatio revocanda est, quae reperitur Iphig. Aul. v. 6. Hoc loco Agamemnon quota iam hora sit sciscitans e sene nuntio haec facit verba: τίς ποτ᾽ ἄρ᾽ ἀστὴρ ὅδε πορθμεύει; quae apte vertit Klotzius: »quaenam igitur haec stella est, quae transmeat?« Ennius liberius locum ita expressit: »quid noctis videtur in altisono Caeli clipeo?«***)

*) Contraria imagine utitur Homerus Od. δ. v. 708 naves appellans ἁλὸς ἵππους. Cfs. praeterea Eur. Med. v. 1123: ναΐαν ἀπήνην. — Plaut. Rud. v. 268: Nempe equo ligneo per vias caerulas Estis vectae? —

**) Schol. πορθμεύουσα: τουτέστι διὰ τὴν ὑπόμνησιν τῶν κακῶν εἰσάγουσά με εἰς δάκρυα.

***) Cfr. O. Ribbeck, tragicorum Latinorum reliqu. p. 32 sq. et p. 254 sq.

Hae iam sunt translationes Euripideae verbi *πορθμεύειν*, cuius usus metaphoricus Euripidis quodammodo proprius est. Coenen quidem l. l. p. 101 omnino unum Euripidem hac metaphora usum esse opinatur. Qua in re fugit virum doctum locus aliquis Aeschyleus, qui et ipse *πορθμεύειν* metaphorice positum praebet, dico Choeph. v. 685: *ἐφετμὰς τάσδε πόρθμευσον πάλιν.* — —

Similiter atque *πορθμεύειν* etiam *ναυστολεῖν* verbum a propria navigandi notione ad quodlibet iter terrestre transfertur. Huc pertinet Cycl. v. 106, ubi Silenus ex Ulixe quaerit: *πόθεν Σικελίαν τήνδε ναυστολῶν πάρει;* — Eodem modo Med. v. 682 Aegeus a Medea interrogatur: *σὺ δ' ὡς τί χρῄζων τήνδε ναυστολεῖς χθόνα;* — Neque discrepat locus tertius Hipp. v. 36, ubi de Theseo leguntur: *τήνδε σὺν δάμαρτι ναυστολεῖ χθόνα κτέ.* — Subiungo Iphig. Taur. v. 599 sq., ubi Orestes, ut comprobaret, sese, non Pyladem sacrificandum esse, haec facit verba: *ὁ ναυστολῶν γάρ εἰμ' ἐγὼ τὰς συμφοράς· Οὗτος δὲ συμπλεῖ τῶν ἐμῶν μόχθων χάριν.* Fingit igitur semet ipsum quasi nauarchum, qui navigium miseriarum onere repletum regat, cum Pylades non sit nisi comes itineris. Contra Pylades ob id ipsum, quod socium se adiunxerit Oresti, idem quoque pati sese debere censet. Dicit enim paullo post eadem qua antea Orestes imagine utens v. 675: *κοινῇ τ' ἔπλευσα, δεῖ με καὶ κοινῇ θανεῖν.* Quamquam hoc quidem loco haud scio an magis de vero itinere maritimo, quod Orestes Pyladesque in Tauriam fecerant, cogitandum sit. — Verbum *συμπλεῖν* generalem societatis notionem exprimit Herc. fur. v. 1225: *συμπλεῖν δὲ τοῖς φίλοισι δυστυχοῦσιν οὔ.* Cfr. Soph. Ant. v. 541: *ξύμπλουν ἐμαυτὴν τοῦ πάθους ποιουμένη.*

Iam a verbis ad nomina me converto, quorum primum sub examen vocare placet vocabulum *ναύκληρος*, quod proprie significat navis magistrum. Hoc sensu reperitur in comparatione aliqua fragm. 421 v. 3 sq.: *μὴ δ' ὡς κακὸς ναύκληρος εὖ πράξας ποτὲ Ζητῶν τὰ πλείον' εἶτα πάντ' ἀπώλεσεν.* Idem verbum improprie dictum est Hipp. v. 1224, ubi ad aurigam illustrandum transfertur. Leguntur enim ibi de Hippolyti equis: *βίᾳ φέρουσιν, οὔτε ναυκλήρου χερὸς . . . . Μεταστρέφουσαι.* Haec aurigae cum gubernatore comparatio ut per se continuatio tantum est eius imaginis, ex qua omnino vectio in navigationis speciem describitur (cfr. supra), ita et ipsa porro continuatur eiusdem Hippolyti verss. sequentibus, quippe qui frenorum notionem gubernaculi (*οἴαξ*) imagine adumbratam exhibeant*): *κεἰ μὲν εἰς τὰ μαλθακὰ Γαίας ἔχων οἴακας εὐθύνοι δρόμον, Προυφαίνετ' εἰς τοὔμπροσθεν, ὥστ' ἀναστρέφειν, Ταῦρος κτέ.* —

*) E contrario leguntur Ov. Metam. II. v. 185 sq.: acta Praecipiti pinus borea, cui victa remisit Frena suus rector. Similiter Pindarus ancoram nominat navigii frenum (*χαλινός*) Pyth. IV. 25. — Cfr. etiam Verg. Aen. VI. 1: Sic fatur lacrimans classique immittit habenas.

Similis vocis *οἴαξ* translatio sese offert nobis Or. v. 795: *ἕρπε νυν οἴαξ ποδός μοι*, quibus verbis appellatur Pylades ab aegro Oreste, cuius gradus quasi gubernaturus est*). Ceterum hanc eandem rationem inter duos viros intercedentem paullo post alia prorsus imagine e re equestri petita exprimere studuit poëta. Facit enim chorum de Pylade loquentem v. 1017: *ποδὶ κηδοσύνῳ παράσειρος.* —

Transeo ad adiectiva *μονόστολος* et *στολάς*, quorum utriusque singulae exstant translationes. Atque *μονόστολος*, quod proprie significat »qui solus navigat«, universe pro *ἔρημος* positum est Alc. v. 406 sq., ubi Eumelus sese Alcestide matre orbatum esse queritur: *νέος ἐγώ, πάτερ, λείπομαι φίλας Μονόστολός***) *τε ματρός.* — Adiectivum *στολάς* et ipsum a navigando deductum metaphorice legitur Hel. v. 1480, ubi *οἰωνοί* dicuntur *στολάδες*, quocum conferri potest Schilleri nostri de nubibus illud: »Segler der Luefte«. Varia lectio *στοχάδες*, ut omnino sententiam praebet minus speciosam, ita ab omnibus quantum equidem scio editoribus iure prorsus repudiata est.

Denique huic § subiungere liceat similitudines duas, quae spectant ad nautarum veterum morem, nocturno tempore e stellarum maxime statu navis cursum instituere. Hunc usum tangit Tiresias caecus Phoen. v. 834 sq, quo loco Manto filiam, qua utitur itineris duce, his alloquitur: *ἡγοῦ πάροιθε, θύγατερ· ὡς τυφλῷ ποδὶ Ὀφθαλμὸς εἶ σύ, ναυβάταισιν ἄστρον ὥς·* Comparat ergo filiam, quae »patrias illuminat umbras« cum stellis, quae tenebris obortis luce sua nautis viam monstrant. — Alter locus exstat Herc. fur. v. 665 sqq.; ibi chorus senum Thebanorum, postquam proposuit, bonis hominibus duplicem iuventutem, malis simplicem tantum tribuendam esse, sic pergit: *καὶ τῷδ' ἦν τούς τε κακοὺς ἂν Γνῶναι καὶ τοὺς ἀγαθούς, Ἴσον ἅτ' ἐν νεφέλαισιν ἄστρων ναύταις ἀριθμὸς πέλει*, quod fere est: »et ex hoc indicio malos a bonis discernere liceret eodem modo quo in nebulis stellarum numerus nautis (indicium) est. Matthiaeus et alii eum secuti paullo diversam comparationem constituerunt, cum astrorum imaginem eo spectare cênseant, »quod similiter ex astris nautae, rectumne cursum teneant necne intellegunt«. At si bonos cum recto cursu, cum falso malos componere poëta voluisset, certe etiam ipse rectus et falsus cursus disertis verbis indicandus fuisset. Nunc vero ad navis cursum dirigendum stellae eadem vice funguntur, qua duplex iuventus ad discernendos bonos a malis.

*) Hesychius huius loci respectu habito *οἴαξ* interpretatur per vocem *ὁδηγός.* —

**) Cfr. schol. *μονόστολος: ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν μονοστελλομένων πλοίων· μονόστολος οὖν ἀντὶ τοῦ ἔρημος.* —

§ 9. *Ἐρέσσειν, κωπηλατεῖν, διερέσσειν, εἰρεσία, πίτυλος, κώπη, συνηρετεῖν, ὁμορροθεῖν, ὑπηρετεῖν, ὑπηρέτης.*

Hac § eas metaphoras percensere nobis in animo est, quas a remigando mutuatus est Euripides. Quas priusquam singillatim proferamus, in universum liceat praefari, nulli translationi magis deditum fuisse Euripidem, nullius plura apud eum exstare exempla. Quod ne plus nimio miremur, memoria teneamus, antiquissimis illis temporibus totius remigationis multo maiorem fuisse vim multoque frequentiorem usum, quam nostris temporibus, quibus ut omnino ipsa remigandi ars ita etiam metaphorae ab illa depromptae admodum exiguis finibus continentur. Cum igitur apud nostrates remigandi verba ad aves volantes potissimum et ad nantes transferri soleant, apud veteres Graecos ad omnem fere celerem motum, saepius etiam vi principali plane obscurata vel abiecta ad vitae rationes universas translata sunt.

Iam qui peculiaris Euripidis fuerit usus, probabunt exempla nunc digerenda. Ac primum quidem ex ictu alarum cum remorum comparato notissima illa metaphora emanavit, ex qua remigatio volandi notionem illustrat*). Tertium autem q. v. comparationis recte statuit Hoppe l. l. p. 8 positum esse in »aequabili certisque intervallis intermittente motu«. Exempla huius generis apud Euripidem reperiuntur duo: Iphig. Taur. v. 289: *πτεροῖς ἐρέσσει* de Furia dicta; Ion. v. 161: *ὅδε πρὸς θυμέλας ἄλλος ἐρέσσει Κύκνος.* Cfr. Aesch. Ag. v. 52: *πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι.* Apud Sophoclem huius translationis vestigium non inveni; Romanis haud fuit ignota, cfs. Verg. Aen. I, 300: Volat ille per aëra magnum Remigio alarum; Ov. Metam. V, 558: Posse super fluctus alarum insistere remis Optastis.

Praeterea remigandi vocabula ad alias quasdam movendi rationes transtulit Euripides, quibus cum remigatione celeritas non minus quam aequabilitas communis est. Sic *ἐρέσσειν* sensu transitivo de gradibus promovendis occurrit Iphig. Aul. v. 138, ubi Agamemnon seni nuntio imperat: *ἀλλ' ἴθ' ἐρέσσων σὸν πόδα, γήρᾳ Μηδὲν ὑπείκων***). Nimirum consulto hoc loco *ἐρέσσειν* vocabulo usus est, ut indicaret, sese senem

*) Satis notum est, ex altera parte volandi notiones ipsasque alas saepenumero traduci ad navem remis et velis actam, qua de re luculenter disputavit Hoppe l. l. p. 8; vide etiam Pflugkium ad Hel. v. 147. —

**) Ennius cum vertat hos versus (cfr. O. Ribbeck, tragicorum Latinorum reliqu. p. 33 et 254): »Procede: gradum proferre pedum Nitere; cessas, o fide senex?« metaphoram Euripideam ex ingenio suae linguae plane aspernatus est. —

gradum quam maxime accelerare velle. — Verbo synonymo *κωπηλατεῖν* terebrandi vim adumbrare studet Ulixes Cycl. v. 460 sqq. in similitudine a navium aedificatione sumpta: *ναυπηγίαν δ' ὡσεί τις ἁρμόζων ἀνὴρ Διπλοῖν χαλινοῖν τρύπανον κωπηλατεῖ, Οὕτω κυκλώσω δαλὸν ἐν φαεσφόρῳ Κύκλωπος ὄψει καὶ συναυανῶ κόρας.* Alioquin verbum non exstat translatum. Neque crebrior est usus metaphoricus verbi compositi *διερέσσειν*, quod de manibus faces huc illuc vibrantibus legitur Troad. v. 1257 sqq.: *τίνας Ἰλιάσιν ταῖσδ' ἐν κορυφαῖς λεύσσω φλογέας δαλοῖσι χέρας διερέσσοντας;**). — Huc porro pertinent translationes substantivorum *εἰρεσία* et *πίτυλος*, quorum illud remigationem, hoc ictum sonumque remorum propria significatione indicat. Atque *εἰρεσία* vox inter tragicos apud solum Euripidem improprie usurpata est idque uno loco. Troad. v. 568 sqq. chorus Andromacham cum Astyanacte curru advectam conspicatus loquitur: *Ἑκάβη, λεύσσεις τήνδ' Ἀνδρομάχην Ξενικοῖς ἐπ' ὄχοις πορθμευομένην; παρὰ δ' εἰρεσίᾳ μαστῶν ἕπεται Φίλος Ἀστυάναξ, Ἕκτορος ἶνις.* Iam cetera, quae dicit chorus, perbene intelleguntur omnia, unum *εἰρεσίᾳ μαστῶν* quid sibi velit in hoc verborum conexu, valde quaeritur. Matthiaeus quidem locum sic interpretari studet: »*εἰρεσίαν μαστῶν* intellego motum mammarum alternis surgentium et subsidentium, das Wogen der Brüste. In curru autem ipso cum matre sedet Astyanax, ad pectus eius reclinatus«. Sed praeterquam quod tota haec Matthiaei explicatio est quaesita et a loco aliena, etiam translatio, quam statuit, vocis *εἰρεσία*, quantum equidem potui scrutari, exemplis similibus confirmari comprobarique utique nequit. Nec magis potest satisfacere altera interpretandi ratio, ex qua *εἰρεσία* intellegitur de planctu pectoris. Per se quidem huiusmodi metaphora nihil haberet offensionis, immo usu simili verborum *πίτυλος* (cfr. infra) atque *ἐρέσσειν* (cfr. Aesch. Sept. v. 855) admodum commendaretur. At quomodo dici possit Astyanax iuxta planctum pectoris (matris?) sequi, equidem mente non concipio. De ipso Astyanacte vero illud *εἰρεσίᾳ μαστῶν* accipere et *παρά* adverbii loco positum habere, ut sententia sit: »iuxta autem pectus plangens Astyanax sequitur«, quae sane sententia per se admodum placuerit, vetamur ipsa Astyanactis infantia, cui non iam talis adversae fortunae sensus attribui debeat. Itaque in universum recte putaverim iudicasse Nauckium, qui verba *εἰρεσίᾳ μαστῶν* corrupta esse censet. Attamen equidem praeter *εἰρεσίᾳ* vocem non tam *μαστῶν* depravatum esse suspicor, quam verbum *ἕπεται*, legendumque propono: *παρὰ δ' ἠρεμίᾳ μαστῶν ἔχεται φίλος Ἀστυάναξ κτέ.* i. e. iuxta vero animo quieto ad (matris) pectus sese applicat Astyanax dilectus.

*) Cfr. Hesychius, qui explicat *διερέσσοντας· διασείοντας.* —

Relinquitur iam usus metaphoricus vocabuli πίτυλος accuratius examinandus. Hic praeter omnes fere nominandus est Euripideus. Cum enim in Sophoclis fabulis πίτυλος vox omnino desideretur, apud Aeschylum bis tantum reperiatur figurate posita (Sept. v. 856 et Pers. v. 975), Euripides multo saepius hoc vocabulum et variato etiam usu per metaphoram adhibuit. Singulorum locorum conspectum ita dabo, ut prius proponam eos, quibus πίτυλος de rerum motu dictum est, postea eos adiungam, qui verbum exhibent ad animi perturbationes perductum. — Atque de plangore improprie occurrere πίτυλος iam supra strictim commemoravi; legitur hoc sensu apud Euripidem Troad. v. 1236: ἄρασσ' ἄρασσε κρᾶτα Πιτύλους διδοῦσα χειρός*). Cfr. Aesch. Sept. v. 855 sq.: ἐρέσσετ' ἀμφὶ κρατὶ πόμπιμον χεροῖν Πίτυλον. — Deinde de armorum tumultu idem verbum posuit Euripides Heracl. v. 834: πίτυλος Ἀργείου δορός et Troad. v. 817 sq.: δὶς δὲ δυοῖν πιτύλοιν τείχη περὶ Δαρδανίας Φονία κατέλυσεν αἰχμά**). — Denique ad aequabilem decursum liquoris destillantis πίτυλος vox bis traducta est***). Hipp. v. 1464 legimus: πολλῶν δακρύων ἔσται πίτυλος, ad quem locum scholiasta explicat πίτυλος: ὁρμή, φορά, πλήμμυρα. Similiter in Alcestis fabula Hercules πίτυλος usurpavit de vino, quod in poculum defunditur. Postquam enim tristem Admeti ministrum, ut »vino contractae seria frontis explicaret« admonuit, sic pergit v. 796 sqq.: καὶ σάφ' οἶδ' ὁθούνεκα Τοῦ νῦν σκυθρωποῦ καὶ ξυνεστῶτος τρόπου†) Μεθορμιεῖ σε πίτυλος ἐμπεσὼν σκύφου. — Hi sunt loci Euripidei, qui πίτυλος vocem continent ad res translatam. Excipiant eos exempla eiusdem vocabuli ad animi concitationem traducti. Sunt tria tantum eaque ita disposita, ut unum ad perturbationem metu effectam, duo ad furoris agitationem pertineant. Herc. fur. v. 816 chorus subito Iridis Lyssaeque aspectu perterritus canit: ἆρ' εἰς τὸν αὐτὸν πίτυλον ἥκομεν φόβου; — Contra in eadem fabula v. 1189 sq. ipse Hercules furens describitur: μαινομένῳ πιτύλῳ πλαγχθεὶς Ἑκατογκεφάλου βαφαῖς ὕδρας. Item Iphig. Taur. v. 307 de Oreste legimus: πίπτει δὲ μανίας πίτυλον ὁ ξένος μεθεὶς κτέ.

Hucusque remigationis metaphorarum eam seriem perlustravimus, quae maxime ad similitudinem aequabilis et continui motus revocanda est. Iam sequantur ceterae

*) Huc spectat Hesychii glossa πίτυλος. συστροφὴ τῆς χειρός, ὅταν πυκνῶς ἐπιφέρηται. —

**) Cfr. Hesychius πιτύλοιν· ταῖς καταφοραῖς τῶν τειχέων.

***) Cfr. Hesych. πιτύλοις· ταῖς καταφοραῖς τῶν ὑδάτων καὶ τοῖς ψόφοις τῶν ὑδάτων. —

†) Sic cum Nauckio correxi vitiosam scripturam codicum, quorum alteri perhibent φρενῶν, alteri κακοῦ.

translationes, quae ad alias quasdam remigandi rationes spectare videntur. Huc imprimis pertinet locus Hipp. v. 1221 sq., ubi de Hippolyto, qui equarum territarum habenas astringere studet, leguntur haece: ἕλκει δὲ κώπην ὥστε ναυβάτης ἀνὴρ Ἱμᾶσιν εἰς τοὔπισθεν ἀρτήσας δέμας. Quae optime Weilius sic interpretatur: »Hippolyte se rejette en arrière, comme un matelot qui ramène la rame; et il se suspend aux rênes de tout le poids de son corps«. Hoc igitur loco comparatio non tam ab ipsa remigandi actione quam a re satis subsiciva, ut ita dicam, petita est, quod quicunque enixe remigat, corpus quam maxime resupinatum habet.

Ad concentum remorum a compluribus remigibus tractatorum referendus videtur usus metaphoricus verborum συνηρετεῖν et ὁμοῤῥοθεῖν, quae a significatione una remigandi per translationem in notionem magis generalem concinendi et conveniendi transierunt. Hac metaphora apud Euripidem legimus Or. v. 530: ἓν δ' οὖν λόγοισι τοῖς ἐμοῖς ὁμοῤῥοθεῖ. fragm. 284 v. 7: οὐδ' αὖ πένεσθαι καὶ ξυνηρετεῖν τύχαις Οἷοί τ' de athletarum genere; fragm. 773 v. 3 sq.: ἆρ' ὄλβος αὐτοῖς (sc. τοῖς πλουτοῦσι) ὅτι τυφλὸς συνηρετεῖ, Τυφλὰς ἔχουσι τὰς φρένας καὶ τῆς τύχης: Eiusdem metaphorae exempla apud Sophoclem invenis Ant. v. 536 et Ai. v. 1329, cum in Aeschyli fabulis plane desint.

Iam vero etiam magis quam in translationibus modo prolatis principalis vis remigandi obscurata, ne dicam perdita est in metaphoris vocabulorum ὑπηρετεῖν et ὑπηρέτης. Haec enim verba, quorum utique est propria vis sub gubernatore remigandi, apud scriptores Graecos sexcenties fere inveniuntur vulgari ministrandi vel adiuvandi notione. Sufficiat igitur ut in re admodum trita atque perspicua protulisse tantum hoc loco singulos versus Euripideos, quibus vocabula illa continentur translata. Verbum ὑπηρετεῖν legitur: Bacch. v. 223; Electr. v. 649; Hec. v. 844; Med. v. 588; Phoen. v. 1708; Rhes. v. 153; Suppl. v. 381; fragm. 221 v. 2. — Substantivum ὑπηρέτης ministri notionem habet: Electr. v. 821; ibid. v. 892; Hec. v. 503; Hel. v. 553; Herc. fur. v. 1398; Hipp. v. 1397; Ion. v. 639; ibid. v. 986, Troad. v. 426; fragm. 1117 v. 47. — Eadem metaphora ὑπηρέτις exstat uno loco: Iphig. Aul. v. 322. — Sophocles praeterea vocem cognatam ὑπηρέτημα per eandem translationem adhibuit: Electr. v. 1358. Aeschylus vero vel novum vocabulum ab eadem stirpe sibi formavit, quo adversarii vim indicaret: ἀντηρέτης (Sept. v. 283, 518, 595, 993). —

Restat, ut verbo tantum perstringamus Iphig. Aul. v. 283 sq.: λευκήρετμον δ' Ἄρη Τάφιον ἦγεν, quem locum fortasse exspectaverit quis ad materiam huius § pertinere. Sed cum λευκήρετμος Ἄρης hic nihil aliud significet nisi classem navium longa-

rum vel potius ipsos classiarios, metaphoram non tam in adiectivo *λευκήρετμος* quam in substantivo *Ἄρης* inesse nostro iure statuere nobis videmur. —

§ 10. *Οὖρος, οὔριος, ἐπουρίζειν, πνεῦμα, αὔρα, πνοή, χειμών, χειμάζεσθαι, παραπλάζεσθαι, ἐξοκέλλειν.*

Quo magis navigatio antiquis temporibus praeter molestum remigandi laborem e vento pendebat, eo minus admirationis habet, quod etiam ex hac ratione permultas orationis flosculos decerpserunt poëtae Graeci. Potissimum vero venti secundi et procellarum notiones ad vitae quaslibet conditiones traducere consueverant. Quod haud secus fit apud ipsum Euripidem, cuius venti translationes, quantum quidem ad res navales pertinere videntur, hac § enodabo.

Initium fiat disputandi a vento secundo. Hinc imaginem petivit poëta Andr. v. 554 sq.: *πρῶτον μὲν οὖν κατ' οὖρον ὥσπερ ἱστίοις Ἐμπνεύσομαι τῇδ'· κτέ*, quae loquitur Peleus Andromachae, quae iam in ultimo discrimine versatur, auxilium laturus. Quaeritur hoc loco, quid accipiendum sit *τῇδε* illud, dativusne pronominis an adverbium. Illud voluerunt ceteri, Pflugkius hoc sibi mente finxit. Et interpretatur quidem vir doctus verba hunc in modum: »Peleus, se ipsum concitans, *ἐμπνεῖ κατ' οὖρον ὥσπερ ἱστίοις*. *Τῇδε* est adverbium loci, partem indicans eam, quo venturus est. Quodsi detraxeris ornatum orationis, egregie illum convenientem maganimo seni, nihil aliud dicit nisi hoc: primum huc dirigam gressum«. Non disertis verbis affirmavit, utrum *ἱστίοις* dativum an instrumentalem esse vellet. Cum tamen paullo ante dixerit, proprie ventum *ἐμπνεῖν τοῖς ἱστίοις*, re vera dativum accepisse videtur, ut iam totus locus ei vertendus sit: »primum quidem huc quasi vela afflabo vento secundo«. At primum quidem ad locutionem *ἐμπνεῖν ἱστίοις* significatio regionis, in quam vela moventur, non modo non desideratur, sed aliena prorsus est. Deinde *ὥσπερ* illud ad *ἱστίοις* appositum certe nos cogit, dativum alterum, quocum *ἱστία* comparantur, si non legere, attamen subintellegere. Et simplicissima profecto ratio est, *τῇδε* illud hunc dativum esse suspicari. Accedit tertium, quod verba sequentia *εἰπέ, τίνι δίκῃ κτέ.* nimis abrupte posita essent, nisi iam antecedentibus persona illa, quae tali modo fari iubetur, significata esset. Itaque facere non possum, quin Pflugkio adverser et cum ceteris interpretibus *τῇδε* de Andromacha dictum censeam. Tum haec evadit sententia: »primum quidem vento secundo tanquam velis huic aspirabo i. e. huic subveniam secundus ut velis ventus«. — Locutio *κατ' οὖρον*, quae hic occurrit, in formulam

quandam abiisse videtur; sensu metaphorico etiam exhibitur Aesch. Sept. v. 690, 854; Soph. Trach. v. 468; propriam vim habet Aesch. Pers. v. 481. —

Iam me converto ad Ion. v. 1509, quo loco Creusa, postquam verss. antecedentibus in universum varietatem fortunae cum ventorum vicissitudine comparavit, rerum suarum in bonam partem commutationem imagine venti secundi adumbrat. Totius loci inde a v. 1504 haec sunt verba: *ἑλισσόμεσθ' ἐκεῖθεν Ἐνθάδε δυστυχίαισιν Εὐτυχίαις τε πάλιν, Μεθίσταται δὲ πνεύματα. Μενέτω τὰ πάροιθεν ἅλις κακά· νῦν δ' Ἐγένετό τις οὖρος ἐκ κακῶν, ὦ παῖ.* Componit igitur Creusa proximo versu casum secundum, quo quae antea fuerunt calamitates tolluntur, vento secundo, qui nautas tempestatibus iactatos periculo liberat eosque eo, quo tendunt, perducit. — Eadem fere imago poëtae menti obversata est Herc. fur. v. 95 sq., ubi Amphitryon Megaram consolari studet hisce: *Γένοιτό τἄν, ὦ θύγατερ, οὔριος δρόμος Ἐκ τῶν παρόντων τῶνδ' ἐμοὶ καὶ σοὶ κακῶν.* Id tantum interest inter duos locos, quod in Ionis versu ipse ventus secundus, hic potius cursus navis vento secundo effectus (*οὔριος δρόμος*) ad salutis viam illustrandam transfertur. Ceterum verba *οὔριος δρόμος* simili metaphora etiam exstant coniuncta Soph. Ai. v. 889: *οὐρίων μὴ πελάσαι δρόμων* de via secunda i. e. recta. —

Adiectivum *οὔριος*, ad quod iam delati sumus, praeterea aeque ac in lingua Latina »secundus« ad varias vitae res prospere procedentes traducitur. Hac translatione apud Euripidem bis modo reperitur nec nisi de faustis sacrificiis: Hel. v. 1587 sq.: *αἵματος δ' ἀπορροαὶ Ἐς οἶδμ' ἐσηκόντιζον οὔριαι ξένῳ.* Similiter Heracl. v. 821 sq.: *ἀφίεσαν Λαιμῶν βροτείων εὐθὺς οὔριον φόνον.* Cfr. Aesch. Choeph. v. 814: *πρᾶξιν οὐρίαν θέλων.* —

E verbis ab eadem stirpe conformatis in Euripidis fabulis solum *ἐπουρίζειν* improprie usurpatum est idque semel tantum. Exstant enim Andr. v. 610 a Peleo ad Menelaum dicta haec: *ἀλλ' οὔτι ταύτῃ σὸν φρόνημ' ἐπούρισας*, quae bene explicat Pflugkius: »sed non in hanc partem mentem tuam, salubri moderans consilio, tanquam felici vento adspirante, direxisti«. Cfr. Aesch. Eum. v. 137: *σὺ δ' αἱματηρὸν πνεῦμ' ἐπουρίσασα τῷ Ἔπου.* —

Hic breviter annecto aliquot locos Euripideos, quibus generales venti significationes *πνεῦμα, πνοή, αὔρα* e verborum ac sententiarum contextu translationem a navigatione petitam continere videntur. Atque ventum secundum suspicor respici Iphig. Taur. v. 1317, ubi Thoas miratus, quod Iphigenia effugere potuerit, exclamat: *τί πνεῦμα συμφορᾶς κεκτημένη;* Quorum Hermanni interpretatio est haec: »quamnam casus auram nacta? i. e. quo quasi vento fortunae potita«. — Nec minus sententia loci

Iphig. Aul. v. 69: *ὅτου πνοαὶ φέροιεν Ἀφροδίτης φίλαι* primam originem ab imagine navigii ipsis vertis promoti duxisse putanda est.

Simili modo venti sese vertentes rerum vel sententiarum commutationem illustrant. Huc pertinuerint praeter Ionis locum, quem supra attuli (p. 37), Electr. v. 1147 sq.: *ἀμοιβαὶ κακῶν· μετάτροποι πνέουσιν αὖραι δόμων* et ibid. v. 1201: *πάλιν, πάλιν φρόνημα σὸν μετεστάθη πρὸς αὖραν*, ad quos locos cfs. Weilii interpretationem. — Herc. fur. v. 215 sq. Amphitryon minatur Lyco: *βίᾳ δὲ δράσῃς μηδέν, ἢ πείσει βίαν, Ὅταν θεός σοι πνεῦμα μεταβαλὼν τύχῃ.* —

Denique, ne quid omittam, verbo attigerim etiam comparationem Phoenissarum v. 1710 sqq., ubi Antigona ad caecum Oedipum, cuius gradus directura est: *ὄρεγε χέρα φίλαν Πάτερ γεραιέ, πομπίμαν Ἔχων ἔμ' ὥστε ναυσίπομπον αὖραν*, ad quae Coenen l. l. p. 93 perapte contulit Homericum *οὖροι πομπῆες* (Od. δ. v. 360), Pindari *οὖρος πομπαῖος* (Pyth. I, 34), Eur. Hec. v. 1289: *πνοὰς πομπίμους*.

Iam vero progrediamur ad ea exempla Euripidea, quae procellarum et tempestatum notiones ad vitae calamitates et pericula traductas exhibent. Quam eandem translationem etiam apud Romanos et nostrates admodum pervulgatam esse notius est quam quod multis verbis exsequar. Apud scriptores Graecos huc maxime spectat usus metaphoricus vocabulorum cognatorum *χεῖμα, χειμών, χειμάζεσθαι*, quae cum proprie dicantur de tempestatibus maritimis, quibus iactantur navigantes, per metaphoram tritissimam eo abierunt, ut exprimerent substantiva quodlibet malum vel periculum, verbum autem, quovis malo vel periculo iactari atque exagitari*). In Euripidis fabulis vocabula hac notione admodum rara sunt inventu. Uti substantiva *χεῖμα* et *χειμών* illud bis, hoc semel tantum occurrunt, nempe *χεῖμα* Andr. v. 748 sq.: *χείματος γὰρ ἀγρίου Τυχοῦσα λιμένας ἦλθες εἰς εὐηνέμους* et ibid. v. 891 *ὦ ναυτίλοισι χείματος λιμὴν φανείς κτέ.*, de quibus locis cfs. § 13, cum *χειμών* exstet fragm. 781 v. 53 sq.: *ἀλλ' εἶμ', ἐπεί τοι καὶ φιλεῖ τὰ τοιάδε Ληφθέντα φαύλως ἐς μέγαν χειμῶν' ἄγειν.* — Nec frequentior est usus metaphoricus verbi *χειμάζεσθαι*, quod tribus reperitur locis. Ion. v. 966 minister ad Creusam, cuius comperit calamitatem: *οἴμοι, δόμων σῶν ὄλβος ὡς χειμάζεται.* Quae si vertit Kockius: »weh mir, wie deines Hauses Glück im Sturm zerschellt«, nimium profecto intulit in verbum *χειμάζεσθαι*, quippe quo solum periculum, non ipse interitus illustretur. Vertendum fere erat: weh mir, wie deines Hauses Glück der Sturm umbraust. — Hipp. v. 315 Phaedra, cui exprobravit nutrix, quod

*) Vide Lobeckium ad Phryn. p. 387 sq.

liberos vellet destituere morte sibi consciscenda respondet: *φιλῶ τέκν'· ἄλλῃ δ' ἐν τύχῃ χειμάζομαι.* — De tertio loco, Suppl. v. 268 sq., vide § 15. —

Praeterea ad procellarum similitudinem retulerim Euripidis translationes singulas verborum *παραπλάζειν* et *ἐξοκέλλειν*, quae verba proprio sensu adhibentur de tempestate naves a cursu deiciente. Hinc profectus Euripides figurate posuit verba de iis, qui e recto et tranquillo vitae cursu in malam rem deferuntur. Hipp. v. 240 Phaedra male sana exclamat: *ποῖ παρεπλάγχθην γνώμας ἀγαθᾶς;* i. e. quo delatus sum e mentis sanitate? — Similiter Troad. v. 134 sqq. Hecuba de Helena, quam Priami interficiendi occasionem dedisse atque ipsam in perniciem adduxisse queritur, haec verba facit: *ἃ σφάζει μὲν Τὸν πεντήκοντ' ἀροτῆρα τέκνων Πρίαμον, ἐμέ τε μελέαν Ἑκάβαν Εἰς τάνδ' ἐξώκειλ' ἄταν.* Cfr. Aesch. Supp. v. 438: *καὶ δὴ πέφρασμαι· δεῦρο δ' ἐξοκέλλεται.*

Iam vero praeter translationes, quas proposuimus, etiam similitudines quaedam uberiores procellarum potissimum imaginem continent, quarum nunc brevem dabo conspectum. Heracl. v. 427 sqq. Iolaus ad Heraclidas, quos ab Eurystheo se defensurum esse Demophon antea promiserat, postea vero, cum oracula postulassent, ut ad bellum prospere conficiendum virgo aliqua nobilis Proserpinae sacrificaretur, destituturus erat, eloquitur: *ὦ τέκν', ἔοιγμεν ναυτίλοισιν, οἵτινες Χειμῶνος ἐκφυγόντες ἄγριον μένος Εἰς χεῖρα γῇ συνῆψαν, εἶτα χερσόθεν Πνοαῖσιν ἠλάθησαν εἰς πόντον πάλιν. Οὕτω δὲ χἠμεῖς τῆσδ' ἀπωθούμεσθα γῆς Ἤδη πρὸς ἀκταῖς ὄντες ὡς σεσωσμένοι.* Haec per se satis sunt perspicua nec quidquam est, quod annotemus, nisi unum, quod locutio *πρὸς ἀκταῖς* in versu extremo a re ad comparationem adhibita ad rem illa illustrandam transmigravit. — Alter locus exstat Troad. v. 686 sqq., ubi Hecuba suam ipsius desperationem adumbrare studet animi infractione et demissione nautarum, qui magnis tempestatibus oppressi fluctuum impetu auferuntur. Verba sunt haec: *αὐτὴ μὲν οὔπω ναὸς εἰσέβην σκάφος, Γραφῇ δ' ἰδοῦσα καὶ κλύουσ' ἐπίσταμαι. Ναύταις γὰρ ἢν μὲν μέτριος ᾖ χειμὼν φέρειν, Προθυμίαν ἔχουσι σωθῆναι πόνων, Ὁ μὲν παρ' οἴαχ', ὁ δ' ἐπὶ λαίφεσιν βεβώς, Ὁ δ' ἄντλον εἴργων ναός· ἢν δ' ὑπερβάλῃ Πολὺς ταραχθεὶς πόντος, ἐνδόντες τύχῃ Παρεῖσαν αὑτοὺς κυμάτων δρομήμασιν. Οὕτω δὲ κἀγὼ πόλλ' ἔχουσα πήματα Ἄφθογγός εἰμι καὶ παρεῖσ' ἐῶ στόμα· Νικᾷ γὰρ οὑκ θεῶν με δύστηνος κλύδων**). — Subiungo comparationem paratacticam q. v. Baccharum v. 902 sqq.: *εὐδαίμων μὲν ὃς ἐκ θαλάσ-*

*) Cfr. schol. *εἰκάσαι δὲ βούλεται τὰ κατὰ τὴν ναῦν τοῖς ἑαυτῆς κακοῖς· ὥσπερ γὰρ οἱ ἐν νηὶ μετρίων ὄντων πόνων ἐλπίδα ἔχουσι σώζεσθαι, εἰ δὲ βία συμβῇ ἀπελπίζουσι τῆς ζωῆς, οὕτως κἀγὼ ἀπήλπισα.*

σας Ἔφυγε χεῖμα, λιμένα δ' ἔκιχεν· Εὐδαίμων δ' ὃς ὕπερθε μόχθων Ἐγένεθ'· κτέ., quibus verbis quid addam non habeo.

Denique hic posuerim locum, in quo non tam ipsarum tempestatum notio quam malacia, qua nautae e procellarum vi et impetu eripiuntur, comparationi usui est. Leguntur Or. v. 727 sq.: *πιστὸς ἐν κακοῖς ἀνὴρ Κρείσσων γαλήνης ναυτίλοισιν εἰσορᾶν.* —

§ 11. *Λαῖφος, φᾶρος, πούς, κάλως, στέλλειν, συστέλλειν, ὑποστέλλειν.*

Artissime cum ventorum translationibus cohaerent eae, quae ad vela spectant; has igitur statim illis placet adiungere. Ac primum quidem agamus de eis exemplis, quae velorum passorum et vento impletorum imaginem referunt. Quae notio e more apud omnes fere gentes navigantes pervulgato ad eos maxime solet transferri, qui ad finem aliquem consequendum omni ope atque opera enituntur. Unde factum est, ut apud Romanos locutiones »velis remisque«, »remigio veloque«, cum utique in proverbii consuetudinem venissent, nihil fere aliud significarent nisi »omnibus viribus«. Iam vero in lingua Graeca eadem fere ratio est locutionum *πάντα κάλων ἀνιέναι, ἐξιέναι, ἐκτείνειν, κινεῖν*, quae plane respondent nostro »alle Segel daran setzen« vel »mit vollen Segeln fahren«, praeterquam quod in verbis Graecis non tam ipsa velorum notio quam funium (*κάλως*), quibus astrictis vela panduntur, praedicatur. Atque huius figurae Graecae specimen quoddam praebet Med. v. 277 sqq., ubi infelix regina queritur: *αἰαῖ· πανώλης ἡ τάλαιν' ἀπόλλυμαι. Ἐχθροὶ γὰρ ἐξιᾶσι πάντα δὴ κάλων, Κοὐκ ἔστιν ἄτης εὐπρόσοιστος ἔκβασις.* Quamquam hoc quidem loco verba *πάντα κάλων ἐξιέναι* nondum utique in generalem proverbii vim abierunt, sed admodum perspicuam pugnae navalis imaginem proferunt, qua de re cfs. accuratas Weilii et Weckleinii annotationes. — Contra adverbialis vis magis eminet Ar. Eq. v. 756: *νῦν δή σε πάντα δεῖ κάλων ἐξιέναι σεαυτοῦ*, quem locum iam interpretes ad Euripideum contulerunt. —

Apud Euripidem praeterea huc pertinet Herc. fur. v. 837, ubi Iris ad Lyssam, quam adhortatur, ut insanientem reddat Herculem, insanientem vero ad ipsius liberos interficiendos adducat: *φόνιον ἐξίει κάλων*, quod fere est: velis remisque in caedem insistas.

Ad alteram translationum classem, qua subducti veli figuratam dictionem contineri volumus, disputationem nostram traducat similitudo aliqua, quae utriusque quodammodo classis est. Exstant Or. v. 704 sqq. a Menelao ad Orestem dicta haec: *ἐλθὼν δὲ Τυνδάρεών τέ σοι πειράσομαι Πόλιν τε πεῖσαι τῷ λίαν χρῆσθαι καλῶς. Καὶ ναῦς γὰρ ἐνταθεῖσα πρὸς βίαν ποδὶ Ἔβαψεν, ἔστη δ' αὖθις, ἢν χαλᾷ πόδα.* Quibus Menelaus certiorem facit Orestem, se Tyndareo et populo persuadere conaturum esse, ut moderate ira in Orestem utantur. Nam navigium quoque fortius veli pede astrictum (*ἐνταθεῖσα*) aqua mergi (*ἔβαψεν*), pede vero relaxato rursus emergi. Quo exemplo id studet comprobare, nimio studio vel vi caussam Orestis non tantum non proficere, perverti etiam. Quapropter consulto antea *πεῖσαι* voce usus est, ad quam totam similitudinem referendam esse iam Hermannus recte perspexit. Ad imaginem vero iam editores contulerunt Soph. Ant. v. 715 sqq.: *αὔτως δὲ ναὸς ὅστις ἐγκρατῆ πόδα Τείνας ὑπείκει μηδέν, ὑπτίοις κάτω Στρέψας τὸ λοιπὸν σέλμασιν ναυτίλλεται*, cuius loci prorsus eadem est sententia atque Euripidei. Unum tamen interest inter duos locos, quod, ut idem Hermannus docuit, apud Sophoclem verba »de moderatione ea, qua quis ipse animum suum refrenet«, dicta sunt, apud Euripidem contra »de illa moderatione, qua erga alios utendum sit, ut eos ne magis exacerbemus.« —

Iam vero contracti veli imaginem exhibet locus Hec. v. 1080 sqq.: *πᾷ βῶ**), *πᾷ στῶ, πᾷ κάμψω, Ναῦς ὅπως ποντίοις πείσμασι, λινόκροκον Φᾶρος στέλλων, ἐπὶ τάνδε συθεὶς Τέκνων ἐμῶν φύλαξ Ὀλέθριον κοίταν;* Dicit haec Polymnestor, qui longius a tabernaculo progressus, ubi ab Hecuba oculis privatus erat, subito metu afficitur, ne corporibus filiorum occisorum, quae ibi reliquerat, mulieres Troianae insultent. »Itaque navis instar, contractis quasi velis (*λινόκροκον φᾶρος στέλλων*) gressum cohibuit, et ad custodienda carissima corpora revertitur«. Sic apte locum interpretatur Pflugkius, qui praeterea recte admonuit, *πείσματα* hoc loco non esse retinacula navis, sed rudentes. — — Porro ad eandem similitudinem spectant Medeae versus 522 sqq.: *δεῖ μ', ὡς ἔοικε, μὴ κακὸν φῦναι λέγειν Ἀλλ' ὥστε ναὸς κεδνὸν οἰακοστρόφον Ἄκροισι λαίφους κρασπέδοις ὑπεκδραμεῖν Τὴν σὴν στόμαργον, ὦ γύναι, γλωσσαλγίαν.* Comparat his versibus Iason Medeae procacem loquacitatem cum vento procelloso, semet ipsum vero cum nauta spectato, qui illam contractis utique velis (*ἄκροισι λαίφους κρασπέδοις*) effugere (*ὑπεκδραμεῖν*) studeat. Ceteroquin iam Matthiaeus ad hunc locum contulit Ar. Ran. v. 997 sqq., ubi chorus ad Aeschylum: *ἀλλ' ὅπως, ὦ γεννάδα, Μὴ πρὸς ὀργὴν ἀντιλέξεις, Ἀλλὰ συστείλας, ἄκροισι Χρώμενος τοῖς ἱστίοις, Εἶτα μᾶλλον μᾶλλον ἄξεις, Καὶ φυλάξεις, Ἡνίκ' ἂν τὸ πνεῦμα λεῖον Καὶ καθεστηκὸς λάβῃς.* Item Valckenaerius monuit, Medeae versum 523 ad verbum fere congruere cum Aesch. Sept. v. 62, qui versus fortasse Euripidis menti obversatus est. —

*) Hunc rectum verborum ordinem restituit Porsonus, cum antea verba *πᾷ βῶ* e codicum auctoritate in fine versus poni solerent. Nauckius omnino lectionem *πᾷ βῶ* delendam censet ut illatam e v. 1056.

Subiungo eos locos Euripideos, quibus etsi non ipsius veli notio in medium profertur, tamen verba de contrahendo illo proprie usitata, hinc translationem duxisse videntur. Sunt verba *στέλλειν, ὑποστέλλειν, συστέλλειν,* quae in Euripidis fabulis singulis translationibus usui sunt. Atque verbum simplex improprie dictum est Bacch. v. 668 sq., ubi nuntius ad Pentheum: *θέλω δ' ἀκοῦσαι, πότερά σοι παῤῥησίᾳ Φράσω τὰ κεῖθεν ἢ λόγον στειλώμεθα.* Ad quae bene Schoenius: »*λόγον στέλλεσθαι,* hergenommen von *ἱστία στέλλ.* »seine Rede zusammenziehn«, d. h. abkürzen und dabei (im Gegensatz zu *παῤῥησίᾳ φράζειν*) Manches verschweigen«. — Simili prorsus metaphora itemque media forma *ὑποστέλλειν* legitur Or. v. 607: *ἐπεὶ θρασύνει κοὐχ ὑποστέλλει λόγῳ κτέ.*, ubi haud scio an ex analogia prioris loci scribendum sit *λόγον.* — Nec multum discrepat translatio verbi *συστέλλειν,* quod de contrahendis vel diminuendis rebus positum est fragm. 724 v. 3 sq.: *τά τοι μέγιστα πολλάκις θεὸς Ταπείν' ἔθηκε καὶ συνέστειλεν πάλιν.* Cfr. Ar. Eq. v. 432 sq.: *ἐγὼ δὲ συστείλας γε τοὺς ἀλλᾶντας εἶτ' ἀφήσω Κατὰ κῦμ' ἐμαυτὸν οὔριον κτέ.*

Reliquum est, ut de uno loco disseramus, qui neque passi neque subducti veli imaginem continet, sed generalem potius notionem sequitur. Leguntur enim Or. v. 340 sqq.: *ὁ μέγας ὄλβος οὐ μόνιμος ἐν βροτοῖς· Ἀνὰ δὲ λαῖφος ὥς Τις ἀκάτου θοᾶς τινάξας δαίμων Κατέκλυσεν δεινῶν πόνων, ὡς πόντου Λάβροις ὀλεθρίοισιν ἐν κύμασιν,* quod fere est: »magna fortuna non stabilis est inter homines; sed veluti velum celeris ratis concutiens eam deus aliquis submergit gravibus aerumnis, tanquam ponti in rapidis et exitialibus fluctibus«. Comparatur igitur fortuna labefactata cum navis velo procella excusso, aerumnarum vero impetus cum fluctibus navem inundantibus (cfr. § 3). Perperam autem Coenen l. l. p. 91 sq. *ἀνατινάσσειν λαῖφος* idem esse statuit, quod *ἀνατείνειν, ἀνιέναι ἱστία,* quod non minus verbi *ἀνατινάσσειν* significatione, quam totius comparationis ratione refutatur. Ad constructionem quod attinet Klotzius comparans notissimum illud *δακρύων ἐμπίπλανταί μου οἱ ὀφθαλμοί* e verbo *κατέκλυσε* sola verba *δεινῶν πόνων* pendere vult; quem equidem sequi malim quam cum Matthiaeo construere: *δαίμων δέ τις κατέκλυσε (τὸν ὄλβον) ἐν(!) λάβροις ὀλεθρίοις κύμασι δεινῶν πόνων, ὡς πόντον, ἀνατινάξας (αὐτὸν) ὡς λαῖφος ἀκάτου θοᾶς.* A Klotzii partibus etiam Weilius stare videtur, cum locum explicet: »un dieu ébranle (*ἀνατινάξας*) la haute fortune des mortels comme (la tempête fouette) la voile d' un navire rapide, et la fait ensuite sombrer dans d' horribles malheurs, comme dans les flots avides, funestes, de la mer«. —

§ 12. *Ἀντλεῖν, διαντλεῖν, ἐξαντλεῖν, ὑπεξαντλεῖν, συναντλεῖν, ἀπαντλεῖν, ἐπαντλεῖν, ὑπέραντλος.*

Transeo ad verborum familiam ab *ἄντλος* voce conformatam. Haec vox ipsa enim angustiore sentinae notione in Euripidis fabulis figurate non usurpatur, amplioris vero significationis, quae est maris, comparationes et translationes, cum non iam ad navigationem sed ad ipsum elementum spectent, uti par erat, supra percensuimus § 1 s. f. Itaque hoc loco nobis tantum restat, ut vocabula derivativa ab angustiore illa notione profecta quantum metaphoris usui sunt perlustremus.

Exordiamur a verbo simplici *ἀντλεῖν,* quod proprie dicitur de sentina e navis fundo exhaurienda. Quae significatio cum satis ampla sit eaque, quae diversas comparandi rationes admittat, neque omnibus exemplis prorsus eadem idea subiecta est, et ipsa illa idea, quae subiecta est, saepissime praepositionibus cum verbo simplici compositis clarius describitur et illustratur. — Primum dicatur de ea ratione, ex qua imago eius, qui aquam usque ad imum exhaurit, universe ad eum transfertur, qui rem ita exigit, ut nihil fere videatur posse accedere. Haec vis perducendi ad finem ut quodammodo iam ipso verbo simplici subest, ita plerumque praepositionibus *ἐξ* et *διά* augetur. Potissimum autem haec figura solet usurpari de aerumnis et calamitatibus, quas quem penitus perferre indicare vult scriptor. Quod non minus valet de lingua Latina, in qua hauriendi, exhauriendi, exanclandi verba eodem usu metaphorico occurrere satis constat. Atque apud Euripidem *ἀντλεῖν* verbum hanc in sententiam legitur Hipp. v. 898: *ξένην ἐπ' αἶαν λυπρὸν ἀντλήσει βίον* et ibid. v. 1049, ubi redeunt eadem verba: *ξένην ἐπ' αἶαν λυπρὸν ἀντλήσεις βίον,* quem tamen versum recte statuit delendum Bergkius, cum haud dubie e priore loco ab interpolatore huc illatus sit. Cfr. Aesch. Prom. v. 375: *ἐγὼ δὲ τὴν παροῦσαν ἀντλήσω τύχην* et Choeph. v. 748: *τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τλημόνως ἤντλουν κακά.* — Ad propriam magis significationem accedit usus verbi Rhes. v. 430 sq., ubi de sanguinis effusione usurpatum est in pugnae descriptione: *ἔνθ' αἱματηρὸς πέλανος ἐς γαῖαν Σκύθης Ἠντλεῖτο λόγχῃ Θρῄξ τε συμμιγὴς φόνος.*

Verba composita *διαντλεῖν* et *ἐξαντλεῖν* etiam saepius quam verbum simplex de laboribus exanclandis occurrunt. Hoc sensu *διαντλεῖν* reperitur Andr. v. 1216 sq., ubi Peleus Neoptolemo orbatus querelas effundit: *ἄτεκνος ἔρημος, οὐκ ἔχων πέρας κακῶν Διαντλήσω πόνους ἐς Ἅιδαν.* Similiter Herc. fur. v. 1373 de Megara leguntur: *μακρὰς διαντλοῦσ' ἐν δόμοις οἰκουρίας,* ad quem locum eiusdem generis exempla e diversis scriptoribus Graecis congesta acervavit Pflugkius. — Iam vero *ἐξαντλεῖν* verbum sex

locis Euripideis eadam metaphora exhibetur, quorum tres sunt Cyclopis: v. 10: *καὶ νῦν ἐκείνων μείζον' ἐξαντλῶ πόνον.* v. 110: *τὸν αὐτὸν δαίμον' ἐξαντλεῖς ἐμοί.* v. 282: *οὗτοι, πόνον τὸν δεινὸν ἐξηντληκότες.* Praeterea huc pertinent Suppl. v. 838: *μέλλων σ' ἐρωτᾶν, ἡνίκ' ἐξήντλεις στρατῷ Γόους κτέ.* atque fragm. 456 v. 2 sq.: *ἀλλὰ μυρίαι Τὸν αὐτὸν ἐξήντλησαν ὡς ἐγὼ βίον.* — Restat Med. v. 78 sq.: *ἀπωλόμεσθ' ἄρ', εἰ κακὸν προσοίσομεν Νέον παλαιῷ, πρὶν τόδ' ἐξηντληκέναι,* ubi translatio non tam obscurata est quam ceteris locis, sed apertissime ipsius navigationis imago respicitur. Cogitandum enim est, ut iam Iacobsius monuit »de navigio unda per tempestatem impleto novisque fluctibus succedentibus perituro«. — Similis ratio est loci Ion. v. 925 sqq., qui verbum *ὑπεξαντλεῖν* continet metaphorice positum. Leguntur ibi a ministro ad Creusam dicta: *ὦ θύγατερ, οἶκτον σὸν βλέπων ἐμπίπλαμαι Πρόσωπον, ἔξω δ' ἐγενόμην γνώμης ἐμῆς. Κακῶν γὰρ ἄρτι κῦμ' ὑπεξαντλῶν φρενί, Πρύμνηθεν αἴρει μ' ἄλλο σῶν λόγων ὕπο κτέ.* Quorum versuum ad nos pertinent 927 et 928, quos cum iam antea Nauckius obscuros et corruptos esse statuisset, nuperrime uberius de eis egit Weckleinius in Fleckeisenii Ann. supp. VII. p. 401. Qui loco Aeschyleo Sept. v. 758 sqq. comparato eiusque cum hoc Ionis diversitate illustrata sic pergit: »Wenn es aber heisst: »während ich eine Woge ausschöpfe«, so kann darauf nicht folgen: »hebt mich oder hebt das Schiff eine andere in die Höhe« sondern nur »fällt eine andere über mich herein«. Demnach ist *αἴρει* falsch und auch *αἱρεῖ*, woran man zunächst denken könnte, giebt nicht den richtigen Sinn. Es muss heissen: *κακῶν γὰρ ἄρτι κῦμ' ὑπεξαντλῶν φρενὶ Πρύμνηθεν ἄρδει μ' ἄλλο σῶν λόγων ὕπο* »übergiesst mich vom Hintertheile her eine zweite«. Warum es heisst »vom Hintertheile her«, wissen diejenigen, die auf dem Wasser gefahren sind«. Atque disputandi via, quam vir doctus ingressus est, in universum mihi utique probatur, etsi in ipso fine, quem assecutus est, non ex omni parti cum eo consentio. Ex mea enim sententia *ἄρδει* vox in hoc sententiarum conexu nimis exilis et imbecilla est, neque intellego, cur Wecklenius *αἱρεῖ* emendationem facillimam aspernatus sit, qua omnes offensiones prorsus tolluntur. Nam quod dicit, eam non rectum praebere sensum quid sibi velit non perspicio, cum ipsa illa vox sententiae a Weckleinio propositae optime satisfacere videatur. Inter locutiones enim »unda me irrigat« (*ἄρδει*) et »unda me deprehendit« (*αἱρεῖ*) nihil aliud interesse videtur nisi quod posterior priore fortior est; sententiam exprimunt prorsus eandem. —

Verbum *συναντλεῖν*, ad quod iam transeundum est, eadem qua verba cognata translatione usurpatum de molestiis coniunctim cum aliquo exhauriendis semel legitur Ion. v. 198 sqq.: *Ἰόλαος, ὃς Κοινοὺς αἰρόμενος πόνους Δίῳ παιδὶ συναντλεῖ.* —

Aliis in exemplis notiones exhauriendi et perficiendi magis obliteratae sunt, contra universae auferendi vel etiam simpliciter ferendi in medium prolatae. Etiam hic perspicuitas imaginis praepositionum ope confirmatur atque augetur. Huc spectant verba *ἀπαντλεῖν* et *ἐπαντλεῖν*, quorum illud ut proprie solam fere aquae amotionem indicat, ita tropice omnino de rebus tollendis et submovendis duobus locis Euripideis adhibitum est: Alc. v. 353 sq.: *ἀλλ' ὅμως βάρος Ψυχῆς ἀπαντλοίην ἄν* et Or. v. 1641 sq.: *ὡς ἀπαντλοῖεν χθονὸς Ὕβρισμα θνητῶν ἀφθόνου πληρώματος.* — Verbum *ἐπαντλεῖν* contra non tantum auferendi vim non respicit, sed etiam mediam ferendi praepositione ita immutavit, ut idem fere factum sit atque congerere, qua de caussa etiam loci, in quem res congeruntur, adiectio quaedam admittitur. Legitur hoc modo fragm. 891 v. 4: *σοφοὺς ἐπαντλῶν ἀνδρὶ μὴ σοφῷ λόγους.* —

Denique pauca monenda sunt de adiectivi *ὑπέραντλος* usu metaphorico. Quod cum proprie dicatur de navigio sentina undique superfuso, metaphorice de eo usurpatur, qui nimiis miseriis obruitur atque opprimitur. Hanc in sententiam perapte de Phaedra exstat Hipp. v. 767 sq.: *χαλεπᾷ δ' ὑπέραντλος οὖσα Συμφορᾷ**). Alioquin apud Euripidem vox non legitur neque apud ceteros tragicos occurrit, quorum Sophocles omnino tota hac transferendi ratione videtur plane abstinuisse, cum Aeschylus certe verbum simplex *ἀντλεῖν* eadem qua Euripides translatione posuerit.

§ 13. *Κατέχειν, κέλλειν, λιμήν, μεθορμίζειν, ἐξορμίζειν.*

Relinquitur, ut navigia ex alto ad litus reducenda curemus easque percenseamus metaphoras, quae imaginem navis appulsae vel in portum tutum invectae ibique ad ancoram consistentis nec non ipsius portus contineant. Exordiamur a litoris appulsu figurate dicto. Huc spectat usus metaphoricus verborum *κατέχειν* et *κέλλειν*, quae proprie dicuntur de navibus appellendis, translata vero generalem perveniendi aliquo notionem exprimunt, attamen ita, ut simul insit significatio quaedam laborum antea exhaustorum, quorum quietem locus, quem adit quis, praebere putatur aeque ac nautis litoris aditus finem efficit aerumnarum in alto superatarum. Respondet igitur haec translatio prorsus ei navigandi verborum, quae ad quodvis aliud iter traduci solere supra exposuimus § 8. Nam ut in illis ipsum iter, ita in hisce ex itinere adventus

*) Cfr. schol. *ὑπέραντλος: ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἐν τῇ νηὶ μηκέτι τῆς ἀντλίας ὑπερέχειν δυναμένων.*

eadem navigationis imagine adumbratur. Sic *κατέχειν* verbum describit devertendi vim Ion. v. 551, ubi Ion Xuthum, qui narravit se Delphos aliquando pervenisse, interrogat: *προξένων δ' ἔν του κατέσχες;* i. e. devertistine in hospitium alicuius? Eadem translatio subest loco Cycl. v. 348 sq., ubi Ulixes de Cyclope: *νῦν δ' ἐς ἀνδρὸς ἀνοσίου Γνώμην κατέσχον ἀλίμενόν τε καρδίαν.* Comparat igitur Cyclopis animum durum asperumque cum litore importuoso, ad quod navis non applicatur nisi cum magno detrimento. Praeterea annotanda est hoc loco figura oxymori, cum *καρδία* ex imagine portus vice fungatur, quae notio adiectivo *ἀλίμενος* addito plane tollitur. Est igitur hoc exemplum quodammodo referendum in numero notissimorum illorum *μήτηρ ἀμήτωρ, ἄδωρα δῶρα,* alia id genus. Prorsus similis est ratio loci Soph. Oed. R. v. 422 sq.: *ὅταν καταίσθῃ τὸν ὑμέναιον, ὃν δόμοις Ἄνορμον εἰσέπλευσας, εὐπλοίας τυχών,* de infausto Oedipodis connubio. — Verbum *κέλλειν,* cum eiusdem sit significationis atque *κατέχειν,* etiam similiter solet transferri. Singularum autem translationum eodem modo variatur constructio quo verbi proprie usurpati, quippe quod aut absolute de navi appellenda aut transitive de appellendo navem dicatur. Atque transitive exstat translatum Electr. v. 139, ubi Electra precatur, ut domum revertatur Orestes *Ἄργει κέλσας πόδ' ἀλάταν* i. e. pedem errantem quasi appellens ad Argos. — In eandem fere sententiam intransitive positum est verbum Hec. v. 1056 sq., quo loco Polymnestor ab Hecuba occaecatus haec exclamat: *ὤμοι ἐγώ, πᾷ βῶ, Πᾷ στῶ, πᾷ κέλσω;* Praeterea huc pertinet Hipp. v. 139 sq., ubi chorus pronuntiat, per tres dies Phaedram cibo abstinuisse *θανάτου θέλουσαν Κέλσαι ποτὶ τέρμα δύστανον.*

Sequatur ipsius portus imago, cuius altera est ratio, ut quodvis illustret receptaculum et perfugium, qui usus, ut notum est, etiam saepenumero apud Latinos et nostrates reperitur. Est tantum continuatio eiusdem imaginis, quam supra fluctibus et tempestatibus vitae labores et pericula depingentibus subesse vidimus (cfr. § 2 et 9). Quae continuatio etsi saepius ea est, ut res continuata cogitatione tantum suppleatur, verbis sileatur, sunt tamen etiam exempla, quae ambas partes imaginis contineant. Veluti Peleus Andr. v. 748 sq. ad Andromacham, quam interventu suo ab interitu servaverat: *χείματος γὰρ ἀγρίου Τυχοῦσα λιμένας ἦλθες εἰς εὐηνέμους.* Eandem imaginem paullo post v. 891 repetit Hermione Orestem advenientem hisce salutans: *ὦ ναυτίλοισι χείματος λιμὴν φανεὶς κτέ.* — Non ita diserte portui opponuntur procellae, attamen satis dilucide respiciuntur Med. v. 768 sqq., ubi Medea de Aegeo: *οὗτος γὰρ ἀνὴρ ᾗ μάλιστ' ἐκάμνομεν Λιμὴν πέφανται τῶν ἐμῶν βουλευμάτων· Ἐκ τοῦδ' ἀναψόμεσθα πρυμνήτην κάλων κτέ.* Qui locus ut in universum ad rem navalem revocandus

est, ita etiam ipsum verbum *κάμνειν* ea de caussa posuit poëta, quod frequentissime de iis usurpatur, qui in alto fluctibus et tempestatibus laborant, id quod recte Weckleinius monuit conferens Aesch. Sept. v. 210: *νεὼς καμούσης ποντίῳ πρὸς κύματι* et Ag. v. 670: *στρατοῦ καμόντος καὶ κακῶς σποδουμένου.* De reliquo ad ipsum portum quod attinet, audacior quodammodo quae hic occurrit translatio est. Aegeum enim Medea portum consiliorum suorum nominat, quia ex eius verbis magnam in spem venerat, fore, ut post caedis consilia ad effectum perducta tutum sibi refugium praeberetur Athenis. Namque antea quo sese verteret caede perpetrata non habuerat (cfr. v. 386 sqq.) ob eamque caussam caedem iam dilatura fuerat.

Ex altera parte portus, cum ex omnibus regionibus profectae naves in eum confluant, omnino per metaphoram apud Graecos notionem eius loci expressit, quo rerum copia undique congeritur. Cuius translationis fabulae Euripideae unum praebent exemplum Or. v. 1077: *μέγας πλούτου λιμήν.* Cfr. Aesch. Pers. v. 250: *πολὺς πλούτου λιμήν,* cuius loci praecipue etiam quod attinet ad verba addita mira est cum Euripideo similitudo.

E verbis, quae ad rationem navis et portus spectant, proxime accedit ad ea, quae supra de receptaculi et perfugii imagine exposuimus, usus metaphoricus medii verbi *μεθορμίζεσθαι,* cum activum sensu magis generali usurpetur. Propria medii significatio est »e portu in portum navigare«, unde tropicam confugiendi vel sese recipiendi Euripides solus tragicorum sibi vindicavit. Huc pertinent duo Medeae loci, quorum prior reperitur v. 257 sq., ubi Medea suam ipsius solitudinem hunc in modum describit: *οὐ μητέρ', οὐκ ἀδελφόν, οὐχὶ συγγενῆ Μεθορμίσασθαι τῆσδ' ἔχουσα συμφορᾶς.* Prorsus eandem imaginem paullo post de eadem Medea repetit chorus v. 441 sqq. reginam miseram his appellans: *σοὶ δ' οὔτε πατρὸς δόμοι, Δύστανε, μεθορμίσασθαι Μόχθων πάρα κτέ.* — Active positum verbum universam loci vel conditionis permutationem illustrat. Atque de loci mutatione legitur Bacch. v. 930 sq.: *ἔνδον προσείων αὐτὸν ἀνασείων τ' ἐγὼ Καὶ βακχιάζων ἐξ ἕδρας μεθώρμισα,* cum de animi commutatione dictum sit Alc. v. 797 sq.: *τοῦ νῦν σκυθρωποῦ καὶ ξυνεστῶτος τρόπου Μεθορμιεῖ σε πίτυλος ἐμπεσὼν σκύφου,* de quo loco cfs. § 9 p. 34.

Restat excutiendus locus Phoen. v. 845 sq., qui vulgo sic editur: *θάρσει· πέλας γάρ, Τειρεσία, φίλοισι σοῖς Ἐξορμίσαι σὸν πόδα.* Exstant tamen praeter *ἐξορμίσαι,* etiam variae lectiones *ἐξορμῆσαι, ἐξόρμισαι, ἐξώρμισαι,* et iam veteres interpretes quid statuerent dubitaverunt. Attamen omnium fere interpretatio eo redit, ut de nave non e portu educenda, sed in portum reducenda cogitent. Et haec sane imago est unice

loco conveniens, quod rectissime Nauckius primus admonuit. Nam iter Tiresiae non incohatur, sed iam absolvitur. Itaque sine dubio *ἐσορμίζειν* verbum a Nauckio propositum recipiendum est. Quaeritur tantum, num etiam in forma huius verbi proponenda rectum vir doctus viderit. Retinuit enim infinitivum aoristi *ἐσορμίσαι* et praeterea, ut verbum aliquod finitum efficeret, *πελᾷς* aut potius *φίλοισιν εἶ* legendum proposuit. Quorum utrumque minus aptum esse nemo non videt. Recte igitur Kinkel, cum Phoenissarum fabulam ederet, viam Nauckianam porro persecutus est, ut praeter ipsum verbum etiam formam infinitivi in indicativum mutaret. Quae mutatio ι literae in σ, ubi codicum lectiones adeo fluctuant, nullam fere dubitationem habet. Unum tamen in Kinkelii scriptura mirum mihi visum est, quod verbum Nauckianum *ἐσορμίζειν* aspernatus est, ipse recepit minus idoneum *ἐνορμίζειν* (*ἐνώρμισας*). Hac in re equidem in Nauckii coniectura acquieverim totumque locum ita restituerim: *θάρσει πέλας γάρ, Τειρεσία, φίλοισι σοῖς Ἐσώρμισας σὸν πόδα·* i. e. prope enim amicos, Tiresia, pedem tuum appulisti. Cfr. supra Electr. v. 139. —

§ 14. Tota vita navigationis instar adumbrata.

Hucusque eos pertractavimus locos Euripideos, quibus singulae vitae humanae rationes et conditiones translationibus variis e re navali sumptis describuntur atque depinguntur. Sequitur iam, ut paucitatem eorum exemplorum perlustremus, quibus imago etiam hodie pervulgata videtur subesse, ex qua totius vitae cursus quasi una navigatio fingitur. Sunt quinque tantum loci, quorum primus in medium proferatur Baccharum v. 389 sqq., ubi chorus, postquam antea e loquacitate et temeritate calamitatem nasci exposuit, hunc in modum pergit: *ὁ δὲ τᾶς ἡσυχίας Βίοτος καὶ τὸ φρονεῖν Ἀσάλευτόν τε μένει Καὶ συνέχει δώματα* i. e. vita autem, quae tranquille et sapienter degitur, neque fluctibus iactatur et domum sustinet. Verbum *σαλεύειν*, unde *ἀσάλευτον* illud derivatum est, proprie de fluctuum iactatione dici satis constat. — Annecto Herc. fur. v. 476 sqq.: *ἐγὼ δὲ νύμφας ἠκροθινιαζόμην, Κήδη συνάψουσ', ἔκ τ' Ἀθηναίων χθονὸς Σπάρτης τε Θηβῶν θ', ὡς ἀνημμένοι κάλως Πρυμνησίοισι βίον ἔχοιτ' εὐδαίμονα.* Quibus versibus affirmat Megara Heraclidis filiis, se temporibus olim fortunatis iam virgines illis elegisse, quas in matrimonia ducerent, ex urbibus Athenarum, Spartae, Thebarum, ut vitam coniugiis illis confirmatam atque in tuto collocatam beate agerent. Cuius sententiae extremam partem figurate ita exprimit, ut filios matrimoniis initis tanquam in portum tutum invectos suam quemque vitam velut retinaculis (i. e.

matrimoniis) alligatam habituros fuisse fingat. Ad totam imaginem iam contulerunt viri docti Med. v. 770: *ἐκ τοῦδ' ἀναψόμεσθα πρυμνήτην κάλων*, cfr. § 13 p. 46. Alia exempla similia in editione sua congessit Pflugkius, quorum hic unum affero illustrissimum: Meleag. ep. XLIV (Anth. Pal. XII. 159): *ἐν σοὶ τἀμά, Μυΐσκε, βίου πρυμνήσι' ἀνῆπται.* Ad constructionem vero quod attinet Coenen l. l. p. 95 perverse censet, verba *ἔκ τ' Ἀθηναίων χθονός, Σπάρτης, Θηβῶν* pendere ex *ἀνημμένοι κάλως*, quam constructionem Medeae loco illo commendari et adiuvari falso opinatur. Nam Herculis certe loco ipsa verborum collocatio quam maxime docet, verba *ἔκ τ' Ἀθηναίων χθονὸς κτέ.* pendere ex *νύμφας ἠκροθινιαζόμην*, non ad sequentia esse referenda. — Iam me converto ad Troadum versus 101 sqq. Ibi Hecuba semet ipsa adhortatur: *μεταβαλλομένου δαίμονος ἀνέχου. Πλεῖ κατὰ πορθμόν, πλεῖ κατὰ δαίμονα, Μηδὲ προσίστω πρῷραν βιότου Πρὸς κῦμα πλέουσα τύχαισιν*, Latine: commutata fortuna obdura. Naviga quo fluctus, quo fortuna te ferunt, nec vitae tuae proram adversis fluctibus oppone, cedens fortunae. Sententia huius imaginis etiam a nostratibus minime aliena est; imaginem tamen ipsam paullo immutare consuevimus, cum eam non a navigando in mari, sed a nando in flumine mutuemur (»gegen den Strom schwimmen«): cfr. etiam Romanorum: »brachia contra torrentem dirigere« (Iuven. IV, 89). — Difficilior est explicatu locus admodum desperatus Iphig. Aul. v. 1319 sqq., ubi Iphigenia misera has effundit lamentationes: *μή μοι ναῶν χαλκεμβολάδων Πρύμνας ἅδ' Αὐλὶς δέξασθαι Τούσδ' εἰς ὅρμους εἰς Τροίαν Ὤφελεν ἐλάταν πομπαίαν, Μηδ' ἀνταίαν Εὐρίπῳ Πνεῦσαι πομπὰν Ζεύς, μειλίσσων Αὔραν ἄλλοις ἄλλαν θνατῶν Λαίφεσι χαίρειν, Τοῖσι δὲ λύπαν, τοῖσι δ' ἀνάγκαν, Τοῖς δ' ἐξορμᾶν, τοῖς δὲ στέλλειν, Τοῖσι δὲ μέλλειν.* Proximis versibus inde a *μειλίσσων* comparatio variarum vitae humanae conditionum cum nauticis quibusdam rationibus subest, etsi accuratior imaginis cognitio verborum traditorum depravatione manifestissima magnopere impeditur. Interpretationes vero et emendationes a viris doctis temptatae difficultates, quibus laborat locus, magis detegerunt quam expediverunt. Unus Hennigius quod proposuit magnam habet speciem probabilitatis. Censet enim versum 1327: *τοῖσι δὲ λύπαν, τοῖσι δ' ἀνάγκαν* omnino e textu removendum, nimirum ideo, quod in totum verborum conexum minime quadrat. Nam verba et antecedentia et sequentia perspicuam navigationis imaginem referunt, cum versus 1327 generales quasdam notiones ab imagine illa prorsus alienas contineat. Est igitur e textu eiciendus. Praeterea ad *λαίφεσι χαίρειν* verba *τοῖς μέν* supplenda sunt, id quod nullam fere movet dubitationem, cfr. Weilius. E verbo *μειλίσσων* denique per zeugma verbum aliquod tribuendi ad locutiones sequentes subintellegendum videtur,

nisi forte *μειλίσσων* cum Burgesio in *ἀλλάσσων* mutandum est. Iam igitur haec fere evadit sententia: . . . »Iuppiter, qui temperat aliis aliam auram mortalium, (aliis tribuens) velis gaudere, aliis e portu evehi, aliis vela contrahere, aliis morari«. Locutio *λαίφεσι χαίρειν* ad eos spectat, qui vento navigant secundo, *ἐξορμᾶν* ad eos, qui e portu evehuntur; *στέλλειν* (sc. *τὰ ἱστία*) de iis accipio, qui venti iniquitate vela subducere coguntur, cum *μέλλειν* ad eos revocandum videatur, quibus propter ventum vel contrarium vel deficientem omnino e portu evehi non licet. Sunt igitur duo ordines discernendi, alter eorum, qui secunda fortuna in navigando fruuntur (*λαίφεσι χαίρειν* — *ἐξορμᾶν*), alter eorum, qui adversa coërcentur (*στέλλειν* — *μέλλειν*). Uterque rursus in duas partes dividitur, alteram eorum, qui iam in alto cursum tenent (*λαίφεσι χαίρειν* — *στέλλειν*), alteram eorum, qui in eo sunt, ut ancoras tollant (*ἐξορμᾶν* — *μέλλειν*). Quomodo autem singulae hae rationes nauticae singulis vitae conditionibus respondeant, quisque perfacile intellegit. —

Denique huic § attribuerim locum aliquem e fragmentis Euripideis, quamquam ibi ut in oratione non continua non utique pro certo potest diiudicari, utrum re vera tota vita an certum tantum eius tempus navigationis imagine respiciatur. Dico fragm. 818 v. 1 sqq.: *εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ Καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυστόλουν, Εἰκὸς σφαδᾴζειν ἦν ἄν κτέ.*, quos versus Latine interpretatur Cicero Tusc. III. 28, 67 hunc in modum: »Si mihi nunc tristis primum illuxisset dies, Nec tam aerumnoso navigavissem salo, Esset dolendi caussa etc«.

§ 15. Respublica navis imagine illustrata.

Inquirentibus in eas Euripidis locutiones, quibus notissima illa reipublicae cum navigio comparatio subiecta est, facili negotio liquet, totam hanc loquendi figuram pro fabularum numero multo rarius exstare apud Euripidem quam apud Sophoclem atque Aeschylum, qua de re cfr. Coenen l. l. p. 55 sqq. Unum praeterea liceat praemonere, apud omnes tres tragicos singulas imprimis esse fabulas, quae huiusmodi metaphoras contineant. Sunt Aeschyli Septem contra Thebas, Sophoclis Antigona, Euripidis Supplices, nec videtur posse dubitari, quin haec res cum ipso argumento uniuscuiusque tragoediae artissime cohaereat. Versantur enim omnes quam maxime in »civilibus undis«. — — Primum proponere placet locum Suppl. v. 879 sq., quo gubernatoris nomine reipublicae rector appellatur: *ἐπεί τοι κοὐδὲν αἰτία πόλις Κακῶς κλύουσα διὰ κυβερνήτην κακόν.* Cfr. Soph. Oed. R. v. 922 sq., ubi Iocaste de Oedipode:

ὡς νῦν ὀκνοῦμεν πάντες ἐκπεπληγμένον Κεῖνον βλέποντες ὡς κυβερνήτην νεώς. Ad eandem comparationem spectant similitudines Suppl. v. 508 sq.: *σφαλερὸν ἡγεμὼν θρασὺς Νεώς τε ναύτης· ἥσυχος καιρῷ σοφός*, et fragm. 194 v. 3 sq.: *ἐγὼ γὰρ οὔτε ναυτίλον φιλῶ Τολμῶντα λίαν οὔτε προστάτην χθονός.* Quibus versibus non solum comparationis forma paratactica, verum etiam mira quaedam sententiarum congruentia communis est. — Deinceps cum in transtris gubernatori locus esset, *ζυγόν* vocabulum improprie de sede regia usurpatum est. Hanc in sententiam leguntur de Eteocle Phoen. v. 74 sq.: *ἐπεὶ δ' ἐπὶ ζυγοῖς Καθέζετ' ἀρχῆς, οὐ μεθίσταται θρόνων**), ubi *ζυγά* et *θρόνοι* prorsus idem significant. Eadem ratio est loci Ion. v. 595 sq., ubi Ion haec reputat: *ἢν δ' εἰς τὸ πρῶτον πόλεος ὁρμηθεὶς ζυγὸν Ζητῶ τις εἶναι, τῶν μὲν ἀδυνάτων ὕπο Μισησόμεσθα.* Cfr. Aesch. Ag. v. 1617 sq.: *σὺ ταῦτα φωνεῖς νερτέρᾳ προσήμενος Κώπῃ, κρατούντων τῶν ἐπὶ ζυγῷ δορός*: — Porro ad eandem imaginem refertur, quod *ναυστολεῖν* verbum aeque ac in lingua Latina gubernandi vox a navi ad civitatem regendam traducitur. Suppl. v. 473 sqq. Thebanorum caduceator Theseum, quem deterrere studet, quominus Adrastum hospitio excipiat corporaque imperatorum in bello adversus Thebas occisorum sepelienda curet, his alloquitur: *κἂν μὲν πίθῃ μοι, κυμάτων ἄτερ πόλιν Σὴν ναυστολήσεις· εἰ δὲ μή, πολὺς κλύδων Ἡμῖν τε καὶ σοὶ συμμάχοις τ' ἔσται δορός* (cfr. § 2). Eadem metaphora *ναυκληρεῖν* verbum occurrit Aesch. Sept. v. 652: *σὺ δ' αὐτὸς γνῶθι ναυκληρεῖν πόλιν* nec non Soph. Ant. v. 994: *τοιγὰρ δι' ὀρθῆς τήνδ' ἐναυκλήρεις πόλιν.* — Etiam Homericum illud: *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω κτέ.* (Il. *β* v. 204) Euripides exemplo e re navali sumpto comprobare conatur Andr. v. 479 sqq.: *πνοαὶ δ' ὅταν φέρωσι ναυτίλους θοαί, Κατὰ πηδαλίων διδύμα πραπίδων γνώμα Σοφῶν τε πλῆθος ἀθρόον ἀσθενέστερον Φαυλοτέρας φρενὸς αὐτοκρατοῦς Ἑνός. ἅ δύνασις ἀνά τε μέλαθρα κατά τε πόλιας, Ὁπόταν εὑρεῖν θέλωσι καιρόν.* —

Quos adhuc usque exhibuimus locos Euripideos, eis gubernatoris maxime notio urgebatur. Quae iam restant exempla ipsam urbem cum navigio comparatam diserte praedicant. Huc potissimum pertinent duo Rhesi loci, quorum prior exstat v. 245 sqq., ubi chorus: *ἦ σπανία Τῶν ἀγαθῶν, ὅταν ᾖ Λυσάλιον ἐν πελάγει καὶ σαλεύῃ Πόλις*, quae vertit Coenen l. l. p. 64: »Rari profecto sunt boni et fortes viri quando ponto nox incubat atra et respublica aestu agitatur«. Comparatur igitur civitas in summas

*) Cfr. schol. *ἐπεὶ δ' ἐπὶ ζυγοῖς: ἀντὶ τοῦ ἐπὶ τῆς βασιλείας. μετενήνοχε δὲ ἀπὸ τῶν κυβερνητῶν. τοιοῦτόν ἐστι καὶ τὸ παρ' Ὁμήρῳ „Ζεὺς ὑψίζυγος“. ἐπὶ γὰρ τοῦ ὑψίστου ζυγοῦ καθήμενος ὡς κυβερνήτης πάντως φέρει τοὺς οἴακας.*

angustias adducta cum navi in alto tempestatibus huc illuc iactata (σαλεύειν). Cfr. Soph. Oed. R. v. 22 sq.: πόλις γάρ, ὥσπερ κ᾽ αὐτὸς εἰσορᾷς, ἄγαν Ἤδη σαλεύει κτέ. Prorsus eandem imaginem refert locus alter ibid. v. 321 sqq., ubi Hector serum Rhesi auxilium acerbissime repudiat his verbis: ἀλλ᾽ οὐδὲν αὐτῶν δεόμεθ᾽, οἵτινες πάλαι Μὴ ξυμπονοῦσιν, ἡνίκ᾽ ἐξώστης Ἄρης Ἔθραυε λαίφη τῆσδε γῆς μέγας πνέων. Ad quae Coenen recte annotat, Martem cum vento comparari, qui vela navis scindat (ἔθραυε). Huc etiam spectat ἐξώστης vocabulum, qvod proprie de ventis adhibetur, qui navem e cursu depellunt. Cfr. Herod. II, 113: ἐξῶσται ἄνεμοι. — Extremum est, ut breviter commemoremus Suppl v. 267 sqq., quo loco chorus Supplicium, Theseum sibi praesidium denegare non posse, comprobare studet hisce: ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν, Δοῦλος δὲ βωμοὺς θεῶν, πόλις δὲ πρὸς πόλιν Ἔπτηξε χειμασθεῖσα. De verbi χειμάζεσθαι usu metaphorico cfs. quae exposuimus § 10 p. 38 sq. —

pag.	4	ann.	pro	Regimonit	legas	Regimonti.
»	18	l. 16	»	singularum	»	singularem.
»	24 »	1	»	Loquiter	»	Loquitur.
»	36 »	6	»	permultas	»	permultos.
»	37 »	1	»	exhibitur	»	exhibetur.

Index.

Vita.

GEORGIUS GUILELMUS ELIMAR SCHWARTZ natus sum Utini die IX mens. Febr. a. h. s. LV patre Martino, matre Dorothea e gente Groth. — Fidem profiteor evangelicam. — Anno h. s. LX cum pater Scharbeutiis, in vico Oldenburgensi, silvarum publicarum curator constitutus esset, eo cum parentibus commigravi ibique in ludo publico literarum elementa didici. Simul scholis privatis linguarum Latinae et Francogallicae primis rudimentis instructus anno h. s. LXVIII in gymnasium Utinense receptus sum, quod usque ad annum h. s. LXXIV frequentavi. Cuius anni vere maturitatis examine perfunctus studiorum caussa Lipsiam me contuli, ubi per quinque semestria audivi vv. dd Braune, Brockhaus, G. Curtius, Drobisch, Eckstein, Gardthausen, Hermann, Hirzel, Lange, Lipsius, Masius, Overbeck, Pueckert, Ritschl, Roscher, Voigt, Windelband, Zarncke atque singulos annos proseminarii et seminarii philologici sodalis fui ordinarius. Kiliae exin per ter sex menses interfui scholis virorum clarissimorum Blass, Forchhammer, Luebbert, Th. Moebius, Pfeiffer, Pfleiderer, Thaulow, Volquardsen, nec non exercitationibus seminariorum philologici, germanistici, historici. Omnibus vero praeceptoribus et Lipsiensibus et Kiliensibus pro magno, quem e scholis percepi, fructu ex intimo animo debitas ago gratias.

Theses.

1. Soph. Ai. v. 798 sq. legendum est: *τήνδε δ' ἔξοδον Ὄλεθρον εἰς Αἴαντος ἐλπίζει φέρειν.*
2. Soph. Oed. R. v. 425 pro tradita lectione *ἅ σ' ἐξισώσει κτέ.* scribi iubeo: *ὅσ' ἐξ ἴσον 'σται.*
3. Theocrit. idyll. I v. 50 traditum *ἀκράτιστον* librariorum incuria depravatum est ex *ἀκράτιστος*, quod restituendum.
4. De orationibus Thucydideis neque Iunghani (Fleckeis. ann. 111 pag. 657 sqq.) neque Welzhoferi (Thuk. u. s. Geschichtsw., Münch. 1878) sententia per se probari potest.
5. Hor. ep. I v. 58 verba: »properare ad exemplar Epicharmi« nihil aliud significant nisi: »Epicharmi exemplum studiose sequi«.
6. Non recte iudicant, qui Taciti Germaniam historiarum olim partem fuisse censent. —